

M Burghers delin. et sculp.

K Academias to Oxonium.

EXEQUIÆ

Celsissimo Principi,

GEORGIO

PRINCIPI DANIÆ,

AB

Oxoniensi Academia

SOLUTÆ.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO, *An. Dom.* MDCCVIII.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

AD
REGINAM.

QUÆ ſola *Angliaci* ſuſtentas pondera ſceptri,
At non ſub luctus pondere ſola gemis;
Quæ nobis, licet ægra animi, ſolatia præſtas,
Gaudiaque *Europæ* das quibus Ipſa cares:
Accipe, quos fundit doctos Academia queſtus;
Ut ſtudio poſſis Ipſa minore queri.
Reſpice nos, charum patiens non flere Maritum;
Dum Tua lugubres dat *Rhedycina* modos.
Ecce! dolent omnes Tibi fuſis crinibus Artes,
Et gemit ad flentis prona Camœna pedes.
Amiſſo conſorte tori, regnique miniſtro,
Imperii levius qui Tibi fecit onus,
Maxima materia eſt lachrymarum: at deſine; non eſt
Privatus, tangit qui Tua corda, dolor.
Ah! parcas, Regina, Tibi, miſerere Tuorum;
Dum Tu mœſta ſedes, omnia languor habet.
Sic ubi Magna Parens udis Natura tenebris
Mœret, & involvunt nubila ſpiſſa diem;

Triſtius incedunt homines, planta omnis in agris
Succidit, & madidum deficit ægra caput.
Ille quidem moritur, quo terram habitante, triumphos
Majores ſolito Regius egit amor.
At reſtant *Britones*, qui non pietate minori,
Inferiore licet, Te pietate colunt.
Non illum agnoſcunt jam cærula regna, nec ultra
GEORGIUS immenſo dat Tua jura mari:
At Tibi gaudet adhuc pelagus parere regenti,
Imperioſa ſecat dum Tua claſſis aquas.
Nec ſoli querimur Fatorum damna *Britanni*,
Dum belli everſas *Gallia* luget opes.
Hæc animum recreent; & tot contenta trophæis
Diſce Tuo haud ultra Conjuge poſſe frui.
Tu funus triſtis mœres, Tua perfidus hoſtis
Prælia; Tu cœlo cedis, at ille Tibi.

GUIL. LANCASTER, S. T. P.

Collegii Reginæ Præpoſitus,

Academiæ Vice-Cancellarius.

Ad Reginam.

ONimios aſſueta pati, Regina, dolores,
Et ſpectare tuæ funera mœſta domus;
Quæ raptos luges, numeroſa cadavera, natos,
Et potiorem Umbris omnibus, ANNA, Virum:
Quo te ſolari verſu, quo carmine ſperem
Fallere deſerti tœdia longa tori?
Si virides auſim GEORGI narrare triumphos,
Imberbes animos, & juvenile decus;
" Talis erat, (gemeres repetitis, ANNA, querelis)
" Talis, cum tædas ambiit ille meas.
Si laudare velim *Neptunia* regna tenentem,
Et liquido expertum ponere jura mari;
Largius elicerem lacrymarum flumen, &, " O quis
" Roſtratas æqua diriget arte rates?
" Quis mihi civiles pectus firmabit ad auſus?
" Ecquis fœmineas extera ad arma manus?
" Cui potero arcanos animi committere ſenſus?
" Cui molem imperii credere tuta mei?
Heu! quid agunt iſtæ, Princeps auguſta, querelæ?
Quorſum abit in molles Regius ardor aquas?
Da plebi miſeræ vanos urgere dolores,
Et longum flecti neſcia, fata queri.
Tu major: Te regna manent; manet, ANNA, ſenatus;
Auſtriacuſque tuam vendicat orbis opem.
Hinc claſſes, illinc legiones juſſa morantnr;
Et ſpirat lauros agmen utrumque novas.
Exere ferali te, Diva *Britannica*, luctu,
Anxiaque ad lætas erige corda vices.
Immemor elapſi, venientis honoribus anni
Proſpice, & inſolitos hoſtibus adde metus.
Egregios emitte duces ad certa trophæa,
Sola regas populum, ſola tuere lares.
Abreptum fruſtra quereris, qui tractet habenas,
Conſortem; imperio ſufficis una tuo.

Honoratiſſimus Dominus Dom. *Jacobus*
Comes de *Salisbury* ex Ædc Chriſti.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ad Reginam.

SUpremum Heroi dum gens inſtaurat honorem,
Et proceres circum ſtant, gemebunda cohors:
Ille breves violas, hic telum appendit; & ornat
Multus thuris odor, multa trophæa rogum.
Interea, nos, ANNA, tuæ non infima curæ
Pars, ſolita ad numeros tendimus arte lyram.
Carmina nos, monumenta haud aſpernanda doloris,
Addimus, ingenuæ flebile mentis opus.
GEORGIUS hæc gratæ poſcit libamina Muſæ,
Lugubre officium nec pia Muſa negat.
Ille olim *Aonias* dignatus viſere ſedes,
Pieridumque loquax audiit æquus ebur.
Has *Henrici* arces, hanc fidam regibus Ædem,
Te præter, nunquam charior hoſpes adit.
Mille Deo obtulerant pro Te pia vota Camœnæ,
Curaque Muſarum proxima Sponſus erat.
Jam mæſtam exercent penſa injucunda Thaliam,
Fundit & ingratos chorda coacta ſonos.
Flevit ſæpe gravi ſublatos funere reges,
Cæſareæ apponens triſtia dona pyræ.
Flevit avos atavoſque tuos, illuſtria famæ
Nomina, Pierio non reticenda choro.
Funere in hoc profert graviores Muſa querelas,
Et proprios luctus, & dolitura Tuos.

Hon. Dom. *Gulielmus* Vicecomes *Hatton* de *Kirby*
Baro *Hatton* de *Gretton.* ex Ædde Chriſti.

NON Præficarum turba inamabili
Stridore plangens, non Procerum cohors
Pullata, non dives ſepulchro
Addita marmoreo ſupellex
Umbras potentum certius eximunt
Oblivioſa nocte, Heliconidum
Quam vox ſororum, barbitoſque
Perpetuans breve tempus ævi.
Plectro loquaci ſeu celebrat ducum
Regumque geſta, & tempora laureis
Cingit coronis, luctuoſa
Seu decorat cineres cupreſſo.

Te

Te longo avorum ſtemmate nobilem,
Te, magne GEORGI, mens memori jubet
  Ornare verſu; ſi Camœnæ
    Annuerent faciles labori.
Me ſi poetarum inſereret choro
Favens *Apollo*; non *Veneſinum* ebur
  Sonaret *Auguſti* trophæa
    Plenius; aut calamo altiori
Dircæus ales ſcriberet invicem
Depræliantes pulvere in Iſthmio
  Heroas *Argivos*. ſed æquus
    Non mihi ſpiritus, & ſuperbis
Par Muſa coeptis. Non ego *Sueones*
Auſim ſubactos plus vice ſimplici
  Referre, non *Cimbrûm* triumphos
    Indecori tenuare verſu.
Quid Marte poſſet dextera GEORGII
Teſtantur arcis *Viſmariæ* lares,
  Lundiſque, concluſuſque Frater
    Hoſtibus in mediis, iniqua
Jam jam implicandus compede; ni Tua
Ultro obſtitiſſet vis generoſior,
  Illuſtris Heros, expedito
    Fratre, ruens per acuta belli.
Videre fortem Te *Senonum* retro
Verſæ cohortes, vidit *Iernia*
  Bello furentem, *Boyna* rubro
    Amne fluens Tibi volvit undas.
Quo raptor audax? deſine buccinis
Certare plectrum. ludere te decet
  Lætos amores, & jugalis
    Fœdera non violata tædæ.
O ſponſus ANNÆ dulcis! amantium
O par beatum! perpetuas parant
  Vobis corollas nuptiarum
    Præſes *Hymen* & amica *Juno*.
At O! Deorum quis *Britonum* invidens
Sorti, quis ANNAM ſæpe puerperam
  Orbavit, eheu! quis fidelem
    Diripuit gremio Maritum?

Quin ſiſte *Clio*; nec tetrici vices
Scrutare fati, quas ſtatuit Deus,
Mortalium demptas ocellis,
Non mihi non tibi detegendas.
Ægræ admovebis, Pieri, rectius
Menti levamen; nec tenuis tuo
Laus barbito ſuccreſcet, ANNÆ,
Quod dederit leviùs dolere:
Ni forte mœſtas altius inſonans
Inter ſorores adſtiteris rogo
Herois, æternoque verſu
Splendidius decoraris urnam.

Honorat. D. *Johannes Carteret*
Baro de *Hawnes*, ex Æde Chriſti.

Ad Reginam.

DUM Parcarum iras & inexorabilis orci
Averſum Numen, flebilis ANNA, gemis:
Plurima gens optat ſocios ſimul addere fletus,
Et parili auguſtos irrigat imbre rogos.
GEORGI fata Tui dant triſtia penſa Camœnis,
Quacunque Aoniæ perſonuere lyræ.
Illum perpetuo luget ſua Cimbria planctu,
Et recolit teneræ prima trophæa manus.
Illius ad funus bene grata immugit *Ierne*,
Atque memor refluis *Boynia* mœret aquis.
Lugubris ante omnes illum tua terra requirit,
ANNA, graves nimium ſueta dolere vices.
Illum in Martis opus poſcit *Britonum* ardua pubes,
Ad palmas certum qui ſibi pandat iter.
Illum ſæpe petunt flentes, turba aſpera, nautæ,
Qui jubeat tutas ire, redire rates.
Heu! quàm diſſimilis pelagi nunc tractat habenas,
Quàm diſpar geſtat ſceptra marina, manus!
Mitte tamen verſis *Britonum* diffidere rebus:
Mitte nimis claſſi, Diva, timere Tuæ.
Alter adeſt Tibi tandem, extincto Conjuge, *Tiphys*,
Cui non par Virtus, par tamen, ANNA, fides.

Forſan

Forſan & hic aliquo patriam decorabit honore,
Arcebitque tuo *Gallica* vela mari.
Quid non ſpondeat Ille, animum obfirmavit in hoſtes
Cui GEORGI exemplum, cui tuus, ANNA, tridens.

Hon. Dom. *Henricus* Dom. *Herbert*
Comitis *Pembrochiæ* Fil. Nat. Max. ex Ædc Chriſti.

REgina, blandam ſtringo tibi lyram,
Modoſque chordis apto loquacibus;
Quales ſolebat dulciori
Pectine *Jeſſiades* ciere;
Sive æſtuantem pectoris impetum
Saulo potenti comprimeret ſono;
Sive interemptum luctuoſis
Fleret amans numeris amicum.
Nam nec minori mens mihi ſaucia
Mœrore languet; nec levius queri
Lugubre ſuadet cor; ſed artem
Muſa negat ſimilemque verſum.
Tuos dolores, Optima Principum,
Referre vellem, & flebile GEORGIO
Donare carmen, quod futuris
Temporibus legerent nepotes.
Ac forte vati mox ſimul auctior
Firmarit ætas ingenium; altius
Camœna ſurget, non pudendos
Auſa Tibi properare cantus.
Tum clariores experientia
Docebit artes; forte & idoneum
Me rebus effinget gerundis,
Conſilio bene præparatum:
Non m[illegible]te quiſquam, Diva, fidelior
Excogitabit, quis ſtatus imperi,
Quæ jura ſceptrum, quæ penates
Perpetuo incolumes reponent.
Hac arte quondam rebus in aſperis
Virtus avita inclaruit; hac Tibi,
Capelle, crevit laus, ſecuto
Poſthabita *Carolum* ſalute.
Hac perduelli turpe ratus jugo
Servire, *Clarendonius* impio
Se civium objecit furori,
Conſiliis, calamoque pollens:

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Salvete magnum par, neque ſanguinis
Origo noſtri temnite dicier!
O ſurgat æque ſi nepoti
Infita vis, ſimileſque ad auſus
Inſtructa! non me degenerem arguent
Umbræ parentum; non animum magis
Recti tenacem, non requires,
ANNA, fidem officiis priorem.
Hæc ſpondet olim, regibus obſequi
Edocta dudum, mens; quod adeſt, leve
Jam pignus apponens, madentis
Donum oculi, tenuemque verſum.

Honoratiſſimus Dominus Dom. *Edwardus Hyde*
Baro Cliſton de Leighton Bromſwold, ex Æde Chriſti.

SI nondum tractanda tibi ſunt vulnera, Princeps
O nimium pia, ſi refugit ſolatia plectri
Immodicus dolor, & laxis ſe effundit habenis;
At ſine, qualeſcunque poteſt, inſtauret honores
Muſa, comes tibi fida, & miſceat æmula fletus.
ANNA, juvat tecum juſtis laſſare querelis
Pollicitos meliora Deos, cum ſtamina lætos
Volverunt aurata dies, cum pronuba Juno
Accendit blandos oculis regalibus ignes,
Arctoas luſtrans meliori lumine terras;
Cum patris vigor, & ſponſæ divina venuſtas
Promiſit ſobolem annoſam, ferosque nepotes.
In mentem hæc revocare juvat, juvat uſque morari,
Et paſci ingentes, memorando gaudia, luctus.
Sed quæ, Pierides, ſcribendi copia plauſus
Æquabit *Britonum*, mediaque in pace triumphos,
GEORGIUS ut noſtro acceſſit novus advena cœlo,
Multa clade rubens, & adhuc à cæde cruentus?
At jam non litui ſtrepitus, non fervidus ardor
Prœlia miſcendi, nec operti pulvere campi
Laurigerum oblectant Juvenem; ſtat regia Virgo,
Cui Venus ipſa comes, cui Gratia quæque ſatelles,
Inque ſinum Heros facilem, vincique volentem,
Se totam jaculata, animo Martem excutit omnem:
Excutit & Fratrem, dextris modo fortiter armis
Servatum, medioque ereptos hoſte Penates.

Sic

Sic *Phaetonteas* ubi Divis parcere flammas
Juſſerat, & patrias cœli defenderat arces
Jupiter, *Ipſe ardens in virgine Nonacrinâ*
Hæſit, & accepti caluere ſub oſſibus ignes.
O fortunati *Britones*, ô *Dania* felix!
O tandem æterno coeuntes fœdere gentes!
Quæ poterunt veſtris majora accedere rebus?
Accedunt majora tamen, thalamoſque jugales
Progenies ornat numeroſa, & regna *Britannum.*
Dii quibus *Europæ* tutamen grande, ſaluſque
Creditur, oranti magnum hoc concedite mundo;
Ne nos, in dubio fluitantes cardine rerum,
Deficiat dulcis *Stuartum* à ſtemmate proles,
Et proavos & avos referens, & utrumque Parentem;
Quæ famam extendat *Britonum*, populoſque volentes
Temperet, atque ſuis ſe ſera immiſceat aſtris.
Ah pietas! ah vana fides! Turba anxia ſurdis
Vota damus ſuperis, vacui ludibria venti.
Hinc mœſtæ ſubiere vices, hinc triſtior ordo
Rerum, & pullati cœpere incedere menſes.
Jamque procax crebros repetit Libitina triumphos,
Filiolaſque novas crudeli funere paſſim
Sternit, & infantes, heu! parva cadavera, reges.
Tu tamen, ô GEORGI, dum Te modo fata finebant,
Omnia ſolus eras; Te, GEORGI, ſoſpite, Conjux
Regia dat veniam Parcis; tecum illa recumbens,
Inſcia curarum ſolos ſuſpirat amores,
Et charis, *Gloverni* oblita, exultat in ulnis.
Te moriente, inter medios ſtupet illa triumphos;
Nec ſua vis animi prohibet, nec maſcula virtus
Olim infracta malis, & vinci neſcia fatis,
Quin roſeas riget imbre genas, & pulſet anhela
Pectora, nec tantis poſſit non cedere plagis.
Haud ſecus æthereas aſſurgens pinus in auras,
Gloria frondentis nemoris, nemus ipſa, per annos
Quæ ſteterat longos, venti aſpernata furores,
Et cœli rabiem, admoti jam vulnere ferri
Corruit, & magnos edit labefacta fragores.
Ergo abit in largos Regina miſerrima fletus,
Et longam viduo volvens ſub pectore curam,
Heu! Dea mortali languet decepta marito.
Seu ſolos petit illa toros, thalamoſque ſilentes,

GEORGII ante oculos conſtans verſatur imago;
Vernantes ſeu ſpectat agros, & florida rura,
Hic, ait, hic mecum curru dans lora ſecundo,
GEORGIUS ille vehi ſolitus: ſin lumina flectat,
Qua Thetis immenſum pandit mare, Naiades illic
Tritoneſque vagi conchis lugubre ſonantes
Communes miſcent luctus, Dominumque requirunt.
Quo (ſuperi) feret iſte dolor? ſcena omnis acerbos
Dat menti ſtimulos, præbetque alimenta furori.
Quin tandem ô miſeri ſpes una, & gloria regni,
O Diva ANNA tuis, ne dedignare ſuperſtes
Paulatim infandos animi lenire tumultus;
Nec, ſponſi æternum memor, obliviſcere noſtri.

Henricus Egerton
Hon. D. D. Comitis de *Bridgewater* Frater è Coll. Novo.

ILluſtris ſoboles *Cimbriacæ* domus,
O GEORGI, *Britonum* deliciæ breves!
Ecquid noſtra Tibi ferre poteſt manus?
Quid libem cineri? Quo nimium citæ
Ætatis ſpatium munere prorogem?
Donarem violæ purpureum decus,
Vivacemque hederam, & nexile lilium:
Donarem clypeos, præmia fortium
Heroum tumulis digna: ſed occidunt
Hæc ipſa, & pereunt cum domino ſimul.
Vellem ornare rogos occiduo minus
Dono, & *Pierio* carmine Principem
Æternum celebrare: at tenuis lyra
Nil ſublime ſonat; nec mihi *Pieris*
Indulget numeros uſque ſuperſtites.
Quod ſi noſtra parum profuerit chelys
Impar materiæ, non tamen invida
Te totum rapiet mors; neque definet
Te fama eximiis tollere honoribus
Centeno ore loquax: hinc titulis recens
Creſces uſque novis. Te *Britonum* agmina
Dicent perpetuo; Te maris arbitrum
Cantabunt memores nautæ, & amabilis
Nympharum recinet Te chorus, expetens
Tam fidos thalamis affore conjuges.

Gulielmus Finch
Hon. D. Comitis Notinghamiæ Fil. ex Æde Chriſti.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

ECquis adeſt liquidos ſolers miſcere colores,
Oraque nympharum ponere, & arma ducum?
Afferat huc faciles calamos, tabulamque paratam;
Et lugubre agilis dextera tentet opus.
Hic GEORGI pingat defuncti exangue cadaver,
Liventeſque oculos, pallidulaſque genas.
Inde toris adſtent medici, officioſa caterva,
Pæoniam queſti nil valuiſſe manum.
Hinc mœſta adductis plangant ſibi pectora palmis
Pullati proceres, & gravis ordo patrum.
Stet procul illachrymans inverſa cuſpide miles;
Demittantque altæ triſtia vela rates.
Parte alia ad tumulum ſoliti inſtaurentur honores,
Excelſamque levis fingat arundo pyram.
Hic clypei hoſtiles, humeri geſtamina *Sueci*,
Heſperiiſque adſint rapta trophæa plagis.
Is calamo labor aptus. --- at O! quis pictor adumbret,
Quis vates gemitus exprimat, ANNA, tuos?
Hos ANNÆ gemitus nulla ars imitarier auſit,
Non *Zeuxis* calamus, non tua, *Naſo*, chelys.

Johannes Finch
Hon. D. Com. Notinghamiæ Fil. ex Æde Chriſti.

QUalis beato ſemideum ſinu
Thetis recepit *Pelea* comparem;
Concuſſa mox acri dolore,
Diva virum queritur caducum:
Regina talis Te dominum æquoris
Sui requirit, dulce decus tori,
Invicte Princeps, Te peremptum,
Non humili viduata ſponſo,
Urget furenti ſaucia pectore;
Sedemque linquit nuper amabilem,
Et conſcios odit Penates,
Daniaci memor uſque fati:
Vaneſcit hortus jam pariter brevis;
Non explicatis ordinibus nitet
Daphne reclinis, myrtus aret
Idalia male culta dextra:

Nutrix tenellas heu! patitur mori
Auguſta plantas; copia narium
Odora marcet, & vireto
Sola viget ſterili cupreſſus.
Dudum propinquis egregio Duci
Stridebat alis Parca malignior,
Prædixit ô! quantos timores
Augurio nimium fideli!
Quaſſavit ægrum pectus anhelitu
Tuſſis frequenti, difficilis levat
Pulmo meatus, nec relaxat
Aura graves operoſa cellas.
Mox albor artus luridus inficit,
Et membra aquoſa tabe fluentia
Siticuloſus languor urit,
Ancipiti peritura morbo.
Regnat per imas impete flammeo
Febris medullas, dum gelidi cutem
Vexant inæqualem vapores,
Et tacitis tumefacta lymphis
Exurgit alvus. fruſtra animæ moras
Nectit medentes ANNA inhians labris,
Cæloſque lamentis fatigat
Sollicitis minus audientes.
Non ſic recurvo poplite regiæ
Votiva ſponſæ baſia porrigit
Supplex maritus, dum ſuperbit
Faſcibus eximius ſecundis.
Non talis in certamine Martio
Suecos ſubegit fulminea manu,
Curaque germanum paterna
Imparibus rapuit periclis.
Seu cum *Jacobi* caſtra reliquerit
Devota *Romæ* transfuga ſplendidus,
Fluctuſve tranarit *Boandæ*,
Æmulus *Auriaci* triumphi.
Dediſcat ætas fœmineo lares
Ferro inquinatos, funere lugubres
Tædas jugali; ſquallidoſque
Cimbriaco thalamos cruore

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Olim ſceleſtos; nunc melior gemit
Honeſtiori percita vulnere
Regina *Danum*, præficæque
Conſociant lacrymas *Britannæ*.
Sed Muſa fletus define pervicax;
Palmæ hoc repoſcunt *Malburii* novæ,
Scaldiſque ſummiſſus, fugato
Præcipiti *Bavaro* ruina.

Georgius Watſon Hon. Bar. de *Rockingham* Fil.
è Coll. Mert.

Britannia Lugens.

QUiſquis es Divum, data cui *Britanni*
Imperi cuſtodia, qui tueris
Arduas turres, acuiſque in hoſtem
Militis enſes;
Fare, quæ cœli regio tenebat
Te, procul noſtris precibus remotum,
Dive, cum ſævos ageret maligna
Parca triumphos.
Tune mutatus, miſeros *Britannos*
Reſpuis curare? animoque iniquo
Hoſtium partes ſequeris, meaſque
Deſeris arces?
At nova armorum recolens trophæa,
Dirutas urbes, acieſque ſuſas,
Et reportatas maris ex *Iberi*
Littore lauros;
Mente percepi ſatis arroganti
Proſperum creſcentis honoris omen;
Teque promiſi mihi ſemper æquum,
Semper amicum.
Heu! triumphalis fugitiva pompæ
Somnia eludunt oculos, caditque
Spes in incertis male collocata
Rebus inanis.
Quid mihi narras equites ovantes?
Quid rates multo ſpolio ſuperbas?
Si meus, qui lætitiam coronet,
GEORGIUS abſit:

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

GEORGIUS regni columen decuſque,
Agminum dux, & (titulis quod unum
Omnibus majus) ſocius potenti a-
-mabilis ANNÆ.
Flebile abrepti viduata buſtum
Conjugis crebro gemitu ſecuta eſt,
Nec dari longis patitur levamen
ANNA querelis.
Ecquis ornando locus eſt triumpho?
Ecqua ſpes, ANNA lacrymante, reſtat?
Fletibuſne iſtis ſocios negabo
Addere fletus?
Flebo; dum dulces *Thameſinus* amnis
Suggeret mœſtis oculis vapores,
Dum miniſtrabunt lacrymis amaros
Æquora rivos.
Tu tamen, Princeps, gemitum, ſepulti
Immemor ſponſi, preme; publiciſque
Debitum curis animum moleſto
Exue luctu.
Occupa ſceptrum, populoque leges
Pone ſubjecto; ſobolemque amatam,
Conjugem charum, indigeteſque Divos
Sera reviſe.
Sic meis olim dabitur querelis
Finis, abreptumque minus dolebo
GEORGIUM, dum ſoſpes erit, regetque
ANNA *Britannos.*

Thomas Sãnders Sebright Bar. & A. M.
e Coll. Jeſu.

DIva, quæ gentis columen *Britannæ*,
Unicum curæ ſuperas levamen;
O ſalus certa imperii, & *Stuartûm*
Ultima proles!
Nænias triſtes, lacrymaſque ſævi
Pabulum luctus cohibere tandem
Diſce; nec pectus nimio exedendum
Trade dolori.
Plurimæ quondam viduum cubile
Conjuges flerunt; neque ſemper ardet,
Cui tori præſes Deus & Cupido
Adfuit, ignis.
Cæſarem dextra nimis infidelì
Flevit occiſum lacrymoſa conjux:
Flevit *Anchiſem* tumulo repoſtum
Cypria diva.
Imbre non parco *Andromache* rigavit
Hectoris buſtum, & pretioſa thuris
Dona libavit cineri, ſupremum
Pignus amoris.
Illa fumantes prope conſpicata
Pergami turres, ſuperante flamma;
Flebilem vidit *Priami* ruinam, ex-
-ciſaque regna.
Illa ſervitum Domino *Pelaſgo*
Tradita, ignotis miſere exulavit
Gentibus, faſtum *Æacidæ*, & protervum
Paſſa cubile.
Te favens cœlum meliore fato,
ANNA, donavit; Tibi ſalva patrum
Stat domus, ſoſpes patria, & penates,
Sceptraque avorum.

Copleſtone Warwick Bampfylde Baronettus,

ex Æde Chriſti.

O Quæ perita es ſubdere principum
Iras minaces imperio tuo;
Vultu ſereno pervicacis
Et rabiem populi coerces:
Hanc jam memento rebus in arduis
Servare mentem; quos tibi mutuo
Numen benignum donat, annos
Nec minuas nimio dolore.
Te mille gentes præſidium ſuum
Vocare gaudent; ah! caveas tibi;
Te mille confidunt futuram
Te miſeri populi ſalutem.
Verum, timendum eſt; augurium ſubit
Mentem ſiniſtrum: Dux etenim perit,
Cujus feroces vicit olim
Rookius auſpiciis tyrannos.
Sed ſtella factus lumine diriget
Claſſem latentes per ſcopulos maris;
Quæ non vel hoſtilem per oram
Naufragium metuet ſecundum.

Rich. Mill. Bar.

è Coll. Di. Jo. Bapt.

Ad Reginam.

DUM mœsta *Oxonidæ* properant Tibi carmina vates,
Et lugubre parat turba novena melos;
Accipe & hæc, Regina, novi monumenta doloris,
Quæ trifti obsequio fert, mea cura, Domus.

Ille Tui Consors thalami fidissimus, heu! jam
Non Tuus in gelido volvitur umbra toro:
Hospite quo nostri quondam exultare Penates,
Frustra polliciti longius ire dies.
Invitum nunc urget opus Parnassia turba,
Et querulum ingrato murmure stridet ebur.
Quam mallet lætum populo Pæana canenti
Musa sequax plausus inseruisse suos!
Vellet casta tori servantem jura Maritum
Dicere, & immotam tempus in omne fidem:
Ut Tibi perpetuo comes indivulsus adhæsit;
Et quæ nexit Hymen vincula, strinxit amor.
Ut *Britones* sibi junxit, amatus amansque vicissim,
Pene suos visus posthabuisse Lares.
Ut Tibi ad auxilium præsens, ut ad ardua promptus,
Seu pacis studium, seu velit arma sequi.
Ut res firmavit *Britonum*, & Neptunia regna
Imperio asseruit, priscaque jura maris.
Hæc voluit pia Musa --- sed obstat Parca volenti,
Mutatoque jubet pectine flere lyram.
Tu tamen, Anna, salus *Britonum*, Tu dulce tuorum
Solamen, vacuam mitte doloris opem.
Æthereas adiit charus Tibi *Georgius* arces,
At, solium vel adhuc qui tueantur, habes.
Incolumes superant Tua dum tutela *Britanni*,
Nec deerit vindex dextra, nec alter amor.

Henr. Aldrich, S. T. P.
Ecclesiæ Christi Oxon. Decanus.

Georgii Principis Daniæ Exequiæ.

QUÆ nova ſors rerum, fatique volubilis ordo
Gaudia contriſtat, medioſque dolore triumphos
Polluit importuno; everſas *Lillia* turres
Dum plorat, claſſique lubens *Mahonia* pandit
Victrici gremium, *Heſperiis* dum regnat in undis
Lekus ovans, ultorque haud irrita fulmina *Romæ*
Molitur tremulæ, *Tarpeiæque* imminet arci?
Heu! Socios atrox Libitina extinguit amores,
Cæſareaſque faces; vacuum Regina cubile
Mœret, dimidiæque animæ inſanabile vulnus!
En! video atratæ miſcent ſuſpiria gentes,
Te luget, *Princeps*, ſepteno *Belgicus* ore,
Te propiore urget confuſa *Britannia* fletu,
Irrigat & charam jam *Scotia* mitior urnam;
Te vanis lachrymis tua *Dania* mœſta requirit,
Depoſitum haud violandum, & pacis amabile pignus.
Cimbrorum Angligenumque iras animoſque feroces
Tu ſolus poteras vinclo mulcere jugali,
Et regna Idalio toties diſcordia ceſto
Nectere; ſed ſobolis vetuere indigna caducæ
Funera, ſed populorum eluſit inania vota,
Spemque omnem buſto Parca invida merſit in uno.
Quanquam O! ſi faciles tribuiſſent juſtius ævum
Gloverno Superi, geminæ quàm ſtirpis honores
Degener haud Hæres, quàm famam & facta atavorum
Exultans retuliſſet! ut arbiter æquus olivam
Pacificam *Caroli* ornaret, ſeu vindice ferro
Æquaſſet lauros felici Marte virentes
Odini, & torvi decus immortale *Canuti!*
Tu ſola extinctis ſuperes *Regina Stuartis*,
Relliquiæ pretioſæ; in Te inclinata recumbit
Tota Domus, brevis & perituri ſtemmatis ætas.
Soſpite Te tumidas ſecura *Britannia* ſpernit
Gallorumque minas, & inermia tela *Philippi*;
Dum ſibi promittit firmatam *Europa* ſalutem,
Numine fulta potenti, & tutelaribus armis.
O! quales *Rhedycina* preces, quæ thurea dona
Sollicita effudit, quas non ſacravimus aras
Adventante Dea læti, cum inviſeret arces
Cecropias *Par Auguſtum*, atque Helicona bearet
Aſpectu propiore; deditque in carmina vires

Æmula,

Æmula, & Aonidum accendit melos omne Sororum!
Scilicet haud vano augurio prædiximus æquor
Celtiacis ſtratum ſpoliis, claſſemque *Britannam*
Peruviis fœtam gazis, auroque nitentem
Occiduo, *Dano* cum traderet *Amphitrite*
Cæruleos faſces, liquidoſque tridentis honores.
Illius auſpiciis, avulſa vertice palma
Borbonii Juvenis, nunc æquior *Anna* redonat
Auſtriacum Carolo ſolium, propriamque tiaram.
Verum O! nunc jacet exanimis, nunc fulmina dextræ
Invictæ cecidere, gravis palleſcit *Iberum*
Terror, & *Hiſpano* non amplius imperat orbi.
At non talis erat cum propugnacula fregit
Viſmaria; haud ſimilem clades *Lanſcronia* vidit,
Cum Fratrem numeris oppreſſum, faucibus orci,
Inter confertas acies, & mille phalanges
Suecorum, eripuit; non ſic *Lundenus* ovantem
Agnovit campus, nec decolor unda *Boandæ*.
Quin licet indulges merito *Regina* dolori,
Quamvis fuſa ſolo lucem averſaris iniquam,
Dilaniata genas, & tundis pectora palmis
Suppliciter triſtis, gelidiſque extrema labellis
Oſcula nequicquam figis, mutumque cadaver
Amplexa, incuſas veſanis aſtra querelis;
Sat lachrymis, Sponſoque datum eſt. ——
Ulterius ne damna fove, neu ſævior Umbram
Dilectam gemitu crucies, aut prodiga vitæ
Arceſſas mortem, miſeros oblita *Britannos*.
En! Tibi ſummiſſus ſolamina fida Senatus
Præſtat, venturique armamentaria belli
Spondet opes; dubiis veneranda *Eccleſia* mater
Exerit os purum tenebris, furioſa *Cethegum*
Factio dediſcit rabiem, tripliciſque coronæ
Præſidium *Lodoix* muliebribus occubat armis!
Sic ubi funereas animoſa *Semiramis* ædes,
Pyramidumque ſtruem, monumenta æterna Marito
Condiderat; viduæ poſito velamine veſtis,
Formoſos operit metuenda caſſide vultus
Bellatrix; ultra ſeptemplicis oſtia *Nili*
Imperium profert, *Euphrati* fræna ſubacto
Injicit, & rapidos cogit miteſcere fluctus.
Mox vallo antiquam cingens *Babylona* perenni

Georgii Principis Daniæ Exequiæ.

Umbroſa attollit viridaria penſilis horti,
Aſſyriumque jubet longùm floreſcere ſceptrum.

Joſephus Harwar, S. T. P.
Coll. Magd. Præſes.

ACcipiat Regina piæ ſolamina Muſæ,
Et leni officium flebile fronte legat;
Quali me quondam cathedram conſcendere juſſit,
Et regere *Aoniæ* prælia ſacra togæ.

Hactenus amiſſam ſobolem, cinereſque Stuartum
Congeſtos forti pectore Diva tulit:
Dum fruitur ſoſpes vitali *Georgius* aura,
Compenſat chari pignora rapta tori.
Jam nati, genitorque ſimul periere: *Glovernum*
Nec reddit terris Ille, nec Ille Patrem.
Nequicquam *Inſulicas Malburius* eruit arces,
Tardaque *Celtiaco* ſanguine *Dendra* tumet:
Nequicquam *Angligenum*, *Scotorumque* aſpera corda
Mutuus æterno fœdere junxit amor:
Heu! Princeps animam Reginæ exhalat in ulnis,
Pro quo (ſi fas ſit) traderet ipſa ſuam.
Tædis caſtus Hymen ſocialibus uniit ambos:
Serviit, obſequio rexit uterque pari.
Quantus erat, conjux cui Regia paruit ultro?
Cujus inexpleto fata dolore gemit?
Hunc placidi ornarunt manſueto in pectore mores,
Nec tamen ad Martis defuit ardor opus.
Teſtor *Suecorum* confuſas ſtrage cohortes,
Atque pie tectum Fratris inerme caput.
Boandæ teſtor ripas, ubi *Danica* virtus
Fulmineo *Auriaci* muniit enſe latus.
Hujus conſiliis claſſis metuenda *Britannum*
Heſperio didicit ponere jura mari:
Scilicet imperium pelagi, quod Jupiter ANNÆ
Ceſſerat æquoreus, ceſſerat Illa Viro.
Nunc mœrore gravi Ductorem navita luget,
Tanquam velivolum mergeret unda nemus.
At ne *Saxonidum*, *Lodoix*, illude dolori,
*Borboniæ*ve crepes germina clara domus:
Anna ultrix inſtat, ſupereſt *Hannovia* proles;
Hæc te contundet viribus, Illa genus.

Joannes Potter,
S. Theol. Profeſſ. Regius.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ad Reginam.

FUnera dilecti dum ploras, Diva, mariti,
Regali incusans fata inimica toro;
Ecquis erit, socias tecum miscere querelas
Qui neget, aut largo non riget imbre genas?
Heroi extremos renuet dare *Cimber* honores?
Cessabitne, ANNA flente, dolere *Brito*?
Principis ad palmas æque gens utraque plausit;
Ad tumulum parilis surgit utrique dolor.
Quin sistant *Cimbri*, sistant lamenta *Britanni*;
Et mœsta ulterius desinat ANNA queri.
Nil prosunt gemitus, lachrymæque per ora volutæ,
Ni quas funereo dat pia Musa rogo.
Te majora manent, populus Te, Diva, requirit;
Et suspensa Tuam curia poscit opem.
I, classem æquoreas victricem mitte per undas;
Hostilesque arces ad Tua signa tremant.
Manibus inferias *Senonum* de strage sacrabit
Anglus, & in GEORGI funere *Celta* gemet.

Guil. Delaune, S. T. P.
& Coll. Di. Jo. Bapt. Præs.

MOEsta suum cœlo cum redderet ANNA Maritum,
Sanguine dilexit quem magis ANNA suo;
Dimidium heu! animæ, Superi, si tollitis, inquit,
Quid moror? & partem non sequor ipsa Mei?

O Regina Deis chara, ô dilecta *Britannis*!
Dent saltem has vacuas Fata redire preces.
Est Regum pretiosa salus, & publica cura:
Exequiæ fierent funera mille Tuæ.
Tu belli ac pacis præsens suspendere lancem;
Te Defensorem quærit avita Fides:
Quæ modo solicitat querulo te carmine Musa,
A Te poscit opem, Materiemque novam.
Mitte igitur luctus: aufert quæ gaudia Conjux,
Victrices lauri, & mitis oliva dabunt.

Bern. Gardiner LL. D. Coll. Omnium Animarum & Archivorum Universitatis } Custos.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

EXtremam traheret fato cum proximus auram
GEORGIUS, *Elyſios* mox aditurus agros;
Interea pullata cohors procerumque, patrumque
Stat circum, lachrymas irrita dona ferens.
Advenit hos inter mœrens magis omnibus una,
Atque adjutrices porrigit ANNA manus.
At patrum nil vota valent, porcerumque querelæ;
Nil ANNÆ pietas, nil bene fidus amor.
Suſpicit hos Heros, mediaque in morte dolentem
Alloquitur Sponſam, nec tamen ipſe dolet;
Nequicquam impendis blandos, mihi chara, labores;
Nequicquam ad medicæ confugis artis opem.
Heu! Parca, & morbi vis inſuperabilis obſtat;
Meque Tuo avellunt invida fata ſinu.
Mitte tamen nimio Teque & Me affligere luctu;
Ni quod Tu doleas, non mihi triſte mori.
Mitte meo vacuos tumulo ſuperaddere honores;
Hoc mihi ſat famæ eſt, ANNA, fuiſſe Tuum.

Tho. Pearſon S. T. P.

Aulæ Sancti Edmundi Principalis.

EN tibi ſolennes pia Muſa inſtaurat honores,
Exequiaſque tuas officioſa parat.
Olim aſſueta comas victrici cingere lauro,
Nunc etiam extremis fert ſua dona rogis.
Accipe, lugubri quas ſolvit carmine laudes,
Carmine per longos te memorante dies.
Hæc *Stygiis* immerſum undis ſervavit *Achillem*,
Æneamque orco poſſe redire dedit.
Hæc Te, magne Heros, cœli ſuper ardua tollet,
Et decus egregiis non leve junget avis.
Hic veteris memor officii dominaberis undis,
Atque reges *Britonum* lucida ſtella rates.

Tho. Burton

Eccleſiæ Chriſti Subdec.

Carmen Hebræum.

נדו למלכה כל ברתניה
הודה למשחית נהפן באניה
דודה במתים בדד נשארת
אשת חמודות הדרת תפארת
חנה נקדרות במות בשקים
מעטה תהלה סר מהיכלים
אלו ישיבות על מנחתכם
בבכי מלכת מסכו דמעתכם
שבת משוש ארץ אם מלכות
נונה במספד מר כמעט על מות
כמה לנשיא נפשה לא יכלה
חברת מלוכות שלם הבדלה
חנה מבכה על בנים בנות
אך נהשבה עתה בין שכלות
חנה עטרה נשאת בראשה
בעל שאת רבה מלך לבה
תבלג גבירת פן כל תהיינה
אמות שכול ומלכות אלמנה:

Rog. Altham Eccl. Christi Canonicus,
& Heb. Ling. Professor Regius.

INdue pullatas, afflicta *Britannia*, veſtes,
Et fluat in madidas lacryma multa genas.
Inſtaurare novos ſperaſti vana triumphos,
Victricique tuos cingere fronde duces.
Jam placuere minus caſtra expugnata, phalanges
Fuſæ, & poſt longas mœnia capta moras.
Interiit, quas nauta refert, ſua gratia lauris;
Nec vaſti ſatis eſt regna tenere maris.
Ille obiit, veſtras qui miſit in arma catervas,
Qui claſſem tutis currere juſſit aquis.
Cui poteris tantos jam demandare labores?
Cui committentur, regia cura, rates?
Quiſnam alter comes ire tuæ dignabitur ANNÆ
Fidus, & imperii grande levabit onus?
Nam tibi notus amor, qui mutuus arſit utrique,
Ut vixere animis & pietate pares.
Spes eadem, timor unus erat, mens una duobus;
Nec violavit amans ille, nec illa fidem.
O quoties iſtis ſperaſti amplexibus ortum,
Qui ſimili gereret ſceptra *Britanna* manu?
Qui natale ſolum & patrias defenderet aras,
Et pura coleret relligione Deos.
At fruſtra; ante diem rami cecidere, nec ipſa,
Quæ nova ſufficeret germina, planta manet.
Aſpice, ut abſentes altùm ſuſpiret amores!
Ut mœſta orbatam lugeat ANNA domum!
"Quo meus *Æneas*! ubi nunc qui ludat in aula
"*Aſcanius*, chari dulcis imago Viri!
Tune vides? nec te movet iſte, *Britannia*, luctus?
I miſera, atque ANNÆ fletibus adde tuas.
Fletibus ora riga; ſed nec te flere juvabit,
Ni ſimul efficias, ut fleat ANNA minus.
Solve lubens, quotquot meruit pia Mater, honores,
Sit tibi chara, uno fit minor ANNA Jove.
Ut cum ſe patriæ perſenſerit ANNA parentem,
Incipiat ſobolis non memor eſſe ſuæ.
Adverſis te, Diva parens, oppone, parata
Cæſareos hoſtes annumerare tuis.
Ut cum conſtantem populi ſpectarit amorem,
Plorare amiſſum deſinat ANNA Virum.

Joannes Savage S.T. P. ex Æde Chriſti.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

CEdere quid mirum eſt fortiſſima pectora bello?
Aut dare victrices Marte furente manus?
Hoc fatum, hoc Bellona jubet: dum neſcia flecti
Sors expectatas ſpargit ubique neces.
Tu molles inter regnique *Amœque* triumphos,
Deponis placidum nobilis umbra caput.
Ipſe domi cunctis princeps fœlicior armis,
Subjicis imperio bella virosque Tuo:
Te mare, Te Dominum terræ expectare ſolebant,
Omnis & auſpiciis militat ordo Tuis.
Claſſem omnem, numeroſque omnes Tibi credidit ANNA,
ANNA Tuo victrix milite, claſſe Tua.
Quid ſtrepitum armorum, aut reboantia fulmina campi,
Corpora quid multo ſanguine miſta canam?
Quid memorem, ut cecidit *Celta* hic inglorius hoſtis?
Ceſſit & innumeris ſaucia *Lila* modis?
Quid loquar *Eugenium*; veſtrumve, *Subaudia*, magnum
Statorem, *Heſperiis* fulmina nota plagis?
Malburium at ſcelus eſt poſt hæc, *Auguſte*, taceri;
Dux Tuus eſt: princeps, *Auſtria* lœta, Tuus:
Cui nunquam affulſit dubiis victoria pennis;
Nec peterent ſacrum fulmina juſſa caput:
Bellica dum tormenta crepant laſſata petendo,
Ictibus intrepidum præbuit uſque latus.
Illuſtres Bellonæ animas numerare quid opto?
Claraque ſub ſignis agmina facta Tuis?
Mente Tua incedunt animata, & juſſa capeſſunt,
Dum certam agnoſcent bella futura manum.
Pace recumbentes ut luget *Dania* manes!
Ut deflet viduos ANNA relicta toros!
Spiritus ah! quoties tenues migraſſet in auras,
Detinet amplexu flebilis ANNA ſuo!
Ah quoties obſeſſa Tuæ ſpiracula vitæ
Muniit, & precibus clauſtra recluſa patent!
Fovit anheloſum quoties cum pectore pectus,
Et repetit ſolitas labilis aura vias!
Spiritus utque diu dubius cœlum inter & ANNAM
Hæſerat, ah cura charus utrique pari;
Malburium tandem pugnantem, *Annamque* relinquens,
Cœlo aſpirabat liberiore frui:
Et vix avulſam, revocantem, ægram admonet ANNAM,
Ut cognata ſibi ſydera, ſera petat.

Joſh. Laſher M. D. Coll. Div. Joh. Bapt.

QUI cædes, & bella legit, motuſque cruentos
Quos tulit *Angliacis* invadens *Dania* Terris,
Is merito totis commoto ſanguine venis,
Odit feralem gentemque ac nomina *Dani*;
Et triſti in querulum format ſe pectore *Gildam*,
Quæque manu nequeat, funeſto ulciſcitur ore.
At veſtros ſiquis mores, divine GEORGI,
Percurrat totos, vitæque exempla quietæ,
Innocuamque animam regali in corpore ſpectet,
Cuncta in Te cernat vitiis contraria Gentis,
Arctoo nunquam afflari Te fidere credat,
Nataleſque Tuos melioribus imputet aſtris;
Totque ſtupens tandem niveæ miracula mentis,
Depoſitis, modo quos Tibi mente ſacraſſet honores,
Numen, clamet, ineſt, & quem laudaret, adoret.
Tu mitis *Danus* feritatem excuſſeris omnem;
Inque mari aut *Gothicis* juſſa eſt ſeſe abdere ſylvis,
Aut inter cautes verſari, & inhoſpita ſaxa;
Pacificaque Tua procul exturbaveris aula.
Candor, & auratis blanda indulgentia pennis,
Et ſolida affulſit circum Te fama, decuſque
Mortali majus, mirique modeſtia vultus.
Juſque bonumque latus ſtiparunt, maxima natu
Cœlicolum, alma Tuos geſſit clementia faſces
Innocuos, quos non fœdaverit ulla ſecuris.
Fermentis plenum nutu convellere mundum,
Et poteras utrumque axem in fera bella movere,
Securuſque Tuis armis, dira omnia belli
Intonuiſſe aliis, vaſtaſque dediſſe ruinas,
Et faciles ſoli Tibi congeſſiſſe triumphos.
Sanctior at Tibi mens, exemplo accendere vitam,
Formare in melius mores, animamque tueri,
Juſtitiam revocare, & cœlum inducere Terris:
Hæ Tibi ſemper erant, perfecti principis artes,
Quæ fulgent ultra ſceptrum, & diadema *Quirini*,
Et quæcunque dabit pollutum ſanguine regnum.
Regia Te quanquam domus, & jam proxima cœlo
Connubia adduxere polo, & fœlicibus aſtris;
Diſcuſſis nimia radiis qui luce nocerent
Mortaleſque hebetare ſolent, vi principe ſenſus
Vidimus in noſtram Magnum deſcendere terram.

Axe

Axe velut ridens cum ſurgat *Phœbus* Eôo,
Et blando aſpectu fovet, atque illuminat orbem.
Quam læti vultus! divino qualis in ore
Gratia! quàm *Titus* in toto ſe Principe pandit!
Adventante illo, fugere malumque metuſque
Triſtes, & nullas obduxere impia frontes
Nubila, non ullis infedit mentibus horror;
Quippe hilari mœſtos oculo, viſuque levavit.
Non tuba, non lituus, ſed vota preceſque ſuorum
Excepere Deum, quaſi rectum, faſque, bonumque
Nuda fides, pietaſque, ſacram referentia pacem.
Inferiora adeo tonitru miſcentur & imbre,
Dum ſpatia æternam exercent ſuprema quietem.
Nec noſtro Heroi, cum jus ad bella vocaret,
Vivida vis animi, aut præſtanti in corpore vires
Defuerant: ſubito magni Ducis impiger arma
Induerat, miraque repleverat omnia fama.
Quam ſubito denſas novit penetraſſe phalangas,
Quamque cito didicit ſpreviſſe, & fundere turmas,
Quam cito, quo flexu frænorum providus urſit
Cornipedem, variiſque docebat currere gyris
Frœna *Pelethronius* miretur ut acta magiſter,
Nec meruit dici *Chiron* moderator equorum.
Has, & mille alias exhauſit bellicus artes,
Cum ſervatori dederat pia nomina *Marti*.
Teſtis ad hæc fœlix ſervatis *Lundia* muris.
Quis ta. prætereat, valida *Landſcronia* fronte?
Hic quaſi non violanda GEORGIUS induit arma;
Hic ipſos cuneos penetravit, cuncta putavit
Aggredienda ſibi, & non aggredienda fugavit;
Ut bello invictos Heros ita proderet ortus.
Longus *Hyperboreas* in bellum traxerat oras
Ambitus, atque arcti imperium poſuiſſe ſub uno.
Jamque propinquabant diverſis agmina fatis,
Danicus hinc fulgens, hinc *Suecicus* ingruit horror,
Acer uterque animis, ſed *Dano* juſtior ardor.
Qualis ubi oceanus magno ſe pondere volvit
Balticus, iratoque rotant ſe gurgite *Phocæ*;
Enſifer, aut alius ſquammoſa in gente tyrannus,
Perſequitur pavidam furioſa per æquora plebem:
Illa quidem magnum in numerum glomerata paveſcit,
Et ſolo in curſu diſcit ſperare ſalutem.

Sic ſublimis equo *Suecos* agitatque, fugatque
GEORGIUS, impellitque in campi extrema paventes.
At ſubigi ignavum nemo putat Illius armis,
Cujus fulmineo victoria ſerviit enſi.
Talibus, ac tantis, Princeps, Te, exercite, fatis
(Semper ad optatum duxit quæ gloria finem)
Flere nefas veſtra in cauſa, quem regia cœli
Accipit, atque novo multo auctior hoſpite gaudet.
Sed noſtra, in lachrymas provolvimur, atque querelis
Proſequimur manes, qui totum hoc lugubre rident.
Inferias tamen has ſubito molimine factas,
Ah ſubito nimium, & grati monumenta doloris
Accipias, votiſque haud dedignare vocari,
Et fias nobis (fueras quod & ante) Patronus.

Ad Reginam.

At tu Diva piis viduata amplexibus ANNA,
(Non licet huic uni ſaltem indulgere dolori,
Dii parce mœrent, & ſupra fata locantur)
Detergas oculis lachrymas, lumenque reducas,
Ni Tibi ſtet tenebris, & luctu involvere mundum,
Mundum ubi tot reges veſtro inflammantur amore.
At ſiquem Regum unquam in veſtra vocaveris aſtra,
Sit Tibi, ſit nobis (precor) ille GEORGIUS alter.

Gail. Wyat Aul. B. M. V. Principalis,
atque Academ. Orator Publicus.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

PRælia dum fervent, *Flandriſque* procaciter agris
Inſolitos luſus verſatilis alea belli
Oſtentat laſciva, ſed armis æqua *Britannis*;
Intempeſtivo luctu violare triumphos
Cogitur, & lauris intexere Muſa cupreſſus.
At quæ Muſa valet defleti evolvere laudes
Principis? aut vigiles ANNÆ lenire dolores?
Ille ſuper nubes luſtrat radiantia cœli
Limina, nec noſtros gemitus aut carmina curat:
Seu referant bello metuendum, & turbine dextræ,
Fulmineo fratris ſacrum caput enſe tuentem,
Suecorumque agitantem, aut *Gallorum* agmina; *Suecos*,
Viſmariæ ad muros, *Boandæ* ad flumina *Gallos*,
Seu pacis florens ſtudiis, ſive arbiter undæ
Æquoreæ ornetur, pelago dans jura patenti,
Angliacæque addens reparata tonitrua claſſi;
Inſignis pietate, habilis dare ſceptra tenenti
Sponſæ conſilia, & regni mulcere labores.
Conſortis nimis Illa memor, nimis immemor orbis
Solliciti, ætherea vix veſci ſuſtinet aura;
Ægra domum inviſo pollutam funere linquit,
Regaleſque odit, quas jam dolor inficit, ædes.
Non ſic ereptum luget Philomela, ſub umbra,
Dulcè gemens ſponſum, quem ſævo milvius ungue
Diſcerpſit; ſed mœſta locum noctesque dieſque
Servat, ſanguineas ſpectans in ceſpite plumas
Sola ſedet, tremuliſve dolens circumvolat alis.
Illa ſuos forſan redituros credit amores
Inſcia; ſed dulcis non ſperat Conjugis ANNA
Deſertum ad corpus vel poſſe, aut velle reverti
Cœlo charam animam, cum jam longo æthera tractu
Perluſtrat, ſociiſque ſemel ſe immiſcuit aſtris.
Parce igitur vanis mentem exercere querelis,
Regina, heu! nimium pretioſi prodiga fletus,
Atque urgere Tuam, dum luges Principis urnam.
Ille vel inſueti gemeret novus hoſpes Olympi,
Si Tibi nunc faceret curas, & pondera regni
Quæ minuit vivens, augeret morte Maritus.
Quin potius bellum graviori ardentius ira
Conſurgens inſtaura; atque hoſtes noſtra ſubacti
Damna luant, GEORGI deploret funera *Gallus*,
Et magis, acta dolore, *vicem gerat* ANNA *Tonautis*.

Sic etenim, qualem finxerunt carmina vatum,
Insolitas mœsto cum volvit pectore curas
Jupiter, intonuit cœli metuendus ab arce,
Terribilesque Dei testatus fulmine luctus.

Ja. Smethurst
Coll. Æn. Nas. Soc. Proc. Sen.

ERgo te placitis sæva necessitas
Avulsit thalamis, optime conjugum,
Quos unquam sociâ junxit Hymen face?
Nec quidquam tibi profuit
Ægro purpurei celsus honos tori,
Regalesque cadens lacryma per genas,
Non ANNÆ pietas, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus?
Te, desiderium fallere nescia,
Captarum ANNA gemit non memor urbium;
Nec cessat medias inter adoreas
Æternùm rediens dolor.
*Albi*sque, & *Thamisis* te resonant simul,
Mistis ambo super funere lacrymis;
Et mœret dominum flebilis omnibus
Undis Oceanus pater.
At non, ô *Britonum* dulcis amor, domos
Visens Tænarias umbra vagaberis,
Quà nox, & novies fusa Stygis palus
Ignavas animas premit:
Ardens en aliud pandit iter tibi
Virtus, ô *Daniæ* nomen amabile,
GEORGI, laus patriæ grandis, & inclyta
Bello dextera, quem redux
Ornavit foliis usque virentibus
Frater de mediis hostibus. Addidit
Pollucem superis Pieridum chorus,
Salvo Castore nobilem;
Te cœlo pariter Musa vetans mori
Tollet; perpetuus Tu maris arbiter
Quassas eripies æquoribus rates,
Inter Tyndaridas nitens.

Tho. Terry
Ædis Christi Alumnus, Proc. Jun.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

VOS Lunæ comites, queis labor unicus
Non certo radios lumine fundere,
Palantumque, benigni,
Ad noctem esse duces viæ:
Non mortalia vos ulterius movent;
Nec duræ ulla datis jura Proserpinæ,
Utcunque hoc cecinere
Crebra Pierides lyra.
Quis rursus mediis navita fluctibus
Vestram speret opem? En! oceani arbiter
Morti cessit, amicus
Astrorumque scientibus,
Astrorumque choris! Flebilis occidit,
Qua leni *Thamisis* flumine labitur,
Qua spumant freta *Sundæ*,
Et *Thule* jacet ultima.
At quis mœstitiam? quis referat graves
Reginæ gemitus? Flet miserabilis
Dies, nec sine fletu
Insomnis tenebras agit.
Nil curat virides, quas capiti adjicit
Lauros *Marlburius*: *Gallica* nil manus
Debellata, nec ægram
Laus captæ movet *Insulæ*.
Quid rapto faciat conjuge? Cui modo
Fidat non metuens? Quis modo mutuas
Præsens ponere curas?
Quis GEORGI memorem levet?
Quod si orbem hunc regitis, lucida sydera, &
Vestræ paruerint fata potentiæ;
Nec vanum cecinerunt
Dulces Pieridum lyræ:
Vos sanate datum vulnus, & anxio
Telum hærens lateri tollite; vos preces
Nunc audite *Britannas*,
Atque ANNÆ date, GEORGIO
Direpta ante diem tempora: sit suæ
Longum gentis amor; sit metus hostium;
Præsentis decus ævi,
Ingens gloria posteri.

C. Aldrich A. M.
Ædis Christi Alumnus.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

VEllem ſuperbæ ſcribere *Galliæ*
Fuſas cohortes, & *Senonum* fugam;
Vellem *Britannorum* triumphos
Non humili decorare verſu:
Sed Muſa, ſed me multa gementium
Querela, chordas flebiliter jubent
Pulſare, regalemque luctum
Dicere, funereaſque pompas.
Heroa raptum flent *Britones*, ſuum
Regina luget pallida conjugem;
Et dulce ſolamen recuſans
Immodico rigat ora fletu.
Quin ſæpe molles dilacerans genas
Plorat, labores non ſatis anxia
Levare, quos pondus miniſtrat
Imperii, tripliciſque regni.
Nunc mente volvit, quas clypeo minax
Fregit cohortes *Naſſavii* comes,
Hoſtem inſecutus per cruenta
Spicula, ſanguineamque *Boynam*.
Nunc & recurſat plurima Principis
Virtus quieto pacis in otio,
Blandique mores, atque pectus
Conſiliis, & amore fidum.
Nil non revolvit ſanguine nobili
Cœloque dignum; factaque *Georgii*
Dum luſtrat, effundit querelas
Anna novas, iteratque planctus.
At, *Anna* mœrens, define triſtium
Tandem querelarum; hoc petit *Anglia*,
Recentiores, ni coerces
Ipſa Tuos, habitura luctus.

Johannes Ivory Equitis Filius
Ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

ASsidet exanimi dum flebilis ANNA Marito,
Ambrosias diffusa comas, & pectora plangens;
Albion infelix solitos renovare dolores
Cogitur, heu nimium mœstis assueta querelis!
Vix satis indultum est lachrymis ob acerba *Mariæ*
Funera; quum subito magis irreparabile damnum
Clara *Stuartorum* patitur domus. Invida fata!
Nonne satis fuerat vobis rapuisse sub umbras
Dotibus eximiis Juvenem, qui gaudia gentis
Audiit *Angliacæ*, & (si non mala fata negâssent)
Venturi simul ac præsentis gloria sæc'li?
Hoccine non satis est? Numerosa prole parentem
Vidimus orbatam; tamen hactenus usque remansit
Tot variis invicta malis Regina: sed orcus
Non satiatur adhuc; tandem sua plumbea vibrat
Spicula mors, penitusque Tuas, ô *Danice* Princeps,
In costas adigit, repetitque in vulnere vulnus.
Hinc dolor! hinc lachrymæ manant super ora perennes
Reginæ! At cœlum justis dum questibus imples,
Effuso nimium ne cedas, ANNA, dolori.
Sis licet orba parens, viduataque Conjuge; natos
Innumeros jactare datur, dum, Regia nutrix,
Agnoscit lætans almam Te Ecclesia matrem.
Dumque foves fidos sincero corde *Britannos*,
Chara vicem amissi supplet gens tota mariti.

Montacutius Garrardus Drake Atm.
Coll. Jo. Bapt. Sup. Ord. Com.

QUÆ subita abreptum plorabas morte *Glovernum*,
Funera jam chari Conjugis, ANNA, doles.
Te Puero orbatam dulci lenibat amore
GEORGIUS, & curæ est facta medela Tuæ.
Quis tamen ingentem jam solvet corde dolorem,
Et tibi solamen, quod tulit ille, dabit?
Compescas gemitus; tribuet gens grata salutem,
Obsequio puerum reddet, amore virum.

Herbert Tryst
Coll. Ball. Soc. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

CUR properas vacuum lacrymis urgere ſepulcrum
ANNA? novum precibus cur revocare Deum?
Immerito certe ſuperos, Regina, fatigas:
Propitium, rapto conjuge, numen habes.
Ah! cave ne merito Lacheſis ſe gaudeat, uno
Stamine reſciſſo, diſſoluiſſe duo.
Cum tibi non ſponſus, cum non ſit filius, alter
Sponſus erunt *Britones*, filius alter erunt.

Paul Williams A. B.
Col. Wadh. Schol.

DEletas *Celtarum* acies, gladioque ſubactas
Urbes fœmineo, fæliciaque arma *Britannum*
Non ultra memorare juvat: Libitina recentes
Contriſtat palmas Heroum, & Martis honores
Inſtaurare vetat; lætos abrumpere cantus
Imperat, & feſta Muſas avertere cura.
Ergo age nunc triſtes, Erato, molire querelas,
Funereum nunc funde melos; crudelia blandam
Poſcunt fata chelyn, magni ſolamen amoris
Exiguum: Te flere decet miſerabile *Dani*
Buſtum, dilectæ viduum Te flere cubile
Reginæ, & raptum thalami decus: aſpice, ſceptri
Immemor ut plorat, mœſta ut diademata fronte
Lapſa procul ſine honore jacent, ut ſcindit amictus
Purpureos amens: non ægros pectoris æſtus
Multa trophæa ducum, lauruſque, & Martia dona
Depellunt; ipſo in plauſu, mediiſque triumphis
Illacrymat: non tangit honos, promiſſaque regna
Auſtriaci Juvenis, non Regales Hymenæi.
Sic *Italas* olim peteret cum *Troius* oras
Fatalemque urbem *Æneas*, arceſque *Latinas*
Conderet; heu! fruſtra felicem conjuge Diva
Amiſit Genitorem: hunc luget Mater amorum
Ambroſioque ſinu cineres complexa tepentes
Imbre rigat pretioſo, & Nati accendit inanes
Fletus: Ille urget triſtis lacrymabile bellum,
Victorque æternæ ponit primordia Romæ.

Johannes Cox A. B.
Coll. Mert. Soc. Prob.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

DUM bibis in cœlo immortales nectaris hauſtus,
Elyſiiſve, Heros, expatiaris agris;
Solvitur in lacrymas mœrens Regina recentes,
Et gemit in viduo ſponſa relicta toro.
Non tamen imperii pondus, licet ægra, recuſat,
Uſque memor regnis invigilare ſuis.
Ut videat tandem, valeat quid Fæmina ſola,
Mors adjutorem tollit acerba Virum.

Jacobus Child A. B.
Coll. Omn. An. Socius.

ITE pii juvenes, & plangite pectora queſtu,
Queis pietas, candor, ſimplicitaſque placent.
Ite ſenes, quoſcunque juvat ſincera, virilis,
Et conſtans gravitas, & ſine fraude fides.
Diſcruciat multos divina humanaque miſcens
Ambitio, & regni pernicioſa fames.
Non illum imperii tetigit, laudiſque cupido
Improba, nec populi deſpiciendus honos.
Nec, veluti Zephyro levis eſt agitata phaſelus,
Sic hunc diverſum quælibet aura tulit.
Non animum moreſque ejus fortuna regebat,
Sed ratio vitæ ſola magiſtra fuit.
Non erat ingenium vario pro tempore diſpar,
Sed veluti Conſors regia, ſemper idem.
Hæſit Parca diu in dubio, an fatalia fila
Rumperet, an legem ſolveret ipſa ſuam.
Ter moriens animam efflavit, ter miſſa redibat,
Et nimis eſt Atropos dura, benigna nimis.
Cum tandem Omnipotens, currentibus ordine fatis,
Convivam menſæ juſſit adeſſe Deum.
Jamque novum ſydus *Caroli* prope ſigna refulget;
Sis bonus, atque tuam ſentiat Anglus opem.
Qui quondam in terris fuerat tibi navita curæ,
Hunc tua lux cœlis, & tua ſtella regat.

Ric. Parkes è C. C. C.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

VOS, ô *Britanni*, fundite lacrymas,
Nec tu querelas ſupprime *Dania*;
Heu! Quantus extremo ſopore, &
Nocte gravi cohibetur Heros!
Extinctus ergo eſt, qui toties feras
Gentes ſecundo fregerat impetu;
Qui ſæpius *Suecos* fugavit,
Et patriæ vetuit minari?
Quantum rependes, *Dania*, Principi
Regem reduxit qui tibi ſoſpitem,
Fauſtoque niſu vindicavit
Fratris amans (pia dextra!) Fratrem?
Non ille Fratri (teſtis es *Anglia*)
Succurrit uni, cum populi duces
Legumque jacturam timebant,
Ac triplicis rabiem coronæ.
Quam fidus ANNÆ, charus & omnibus,
Teſtatur ANNÆ conjugis, & memor
Luctus *Britannûm*, quem levabit
Sola dies, medicamen ægris!

Rob. Blunt
Coll. Div. Joh. Bapt. Schol.

NON *Venus Anchiſæ* potuit reparare ſenectam,
Italaque *Æneæ* terra cadaver habet.
Pelea ploravit conjux, & mater *Achillem*,
Cui patris *Oceani* paruit unda *Thetis*.
Mœſta olim Natum flevit, nunc mœſta Maritum,
Non minor ANNA uxor, non minor ANNA parens.
Quis cohibet lachrymas tua lugens funera, Princeps?
Mortali prodeſt quid *Dea* ſponſa viro?
O *Gloverne* tuum quam lamentabile funus!
Cui non certa ſalus vel *Dea* mater erat!
Immortale ævum fruſtra Natoque Patrique
Optavit, multa gens miſeranda prece.
Nec prece, nec lachrymis fatalia ſtamina vitæ
Producent Parcæ, cum venit atra dies.
Si, Regina, Tibi fata haud minus aſpera, tandem
Ipſas credemus poſſe perire *Deas*.

Willoughby Bertie Honorab. *Jacobi Bertie* Armig.
Fil. Nat. Max. è C. C. C. ſup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ad celeberrimum Pictorem Gothofredum Knellerum Equitem.

O Qui colores, nobilis artifex,
Reddis loquaces, ô calami potens,
Seu pingis iras fulminantis
Malburii, aut leviora tela,
Queis alma gratam Diva regit *Paphon*,
Queis pulchra proles *Malburii* ferit,
Parentis exæquans triumphos,
Corda domi, ſpoliiſque gaudet:
Sive eminentis *Bleinhemiæ* decus,
Uſtæve laudes exprimis *Inſulæ*,
Totaque ſcintillant tabellâ
Fulgura, præcipiteſque flammæ:
Jam deſtinatum differ opus, parans
Delere fuſis gaudia lachrymis
Incepta, *Knellere*, & ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.
Largis dolentem fletibus auctior
Turbatus urbem *Tameſis* alluat;
Dum pompa ſolennis, pereſa
Ad veterum monumenta regum
Tendit reclinis vertice, & ingemens
Eheu! ſub imo pectore; plauſibus
Quæ rupit ædes ante lætis
Paule tuas, iterumque rumpet.
Poſſis ſub illa vulgus imagine
Referre mœrens. qui calamus tamen
Plorantis ANNÆ conjugem, quæ
Ars animi ſimulet tumultus
Flere obſtinati? flectere quem nequit
Sceptrum & recentis gloria laureæ.
Sic amnis, eduxere ripâ
Quem pluviæ ſubitæ quietâ,
Per ſaxa, per campos ruit impetu
Effrœni, & ipſos tranſilit objices.
Devictus una Tu modeſto
Contege non imitanda velo
Mœrentis ANNÆ vulnera; fulgidum
Olim ſereni non poteras jubar
Æquare vultus, nec potes jam
Diluviem, pluvioſque luctus.

Jacobus Dalrymple è Col. Reg. Baronetti Fil. ſup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

PRopria ſeu ſubeunt animum, ſeu publica, *Georgi*,
Geſta, fluunt lachrymæ, munera juſta, tibi.
Frater amicus eras, teſtis ſit *Suecica* turma;
Optimus & Conjux, *Anglia* teſtis adeſt.
Terrâ igitur deflendus eris, ſed debitus aſtris;
Plus vixiſſe juvat, quam periiſſe piget.

R. Theed A. M.
Ex Aula Nov. Hoſp.

DEfuncto tumulum quid ſtruit artifex
Heroi, *Pario* marmore nobilem?
Quid cerâ liquidâ, quid calamo levi
Spiranti ſimilem ponit imaginem,
Compenſans vacuis damna laboribus?
Annon aſpicimus cuncta ut edax dies
Abſumit? ſiluit *Memnonii* loquax
Æs dudum monumenti, & memorum *Pharos*
Deletas queritur pyramidum notas.
Non ſaxi fragilis gratia, non color
Succorum varius perpetuò nitet:
Nec, quæ *Mentoris* aut *Parrhaſii* manus
Finxere, ora ducum, obſiſtere temporum
Norant invidiæ: non ea manibus
GEORGI digna ſatis munera; non ita
Commendanda Ducis fama nepotibus.
At ne magna Viri geſta ſilentio
Tranſmittat veniens poſteritas, lyras
Tendunt *Oxonidæ*, non humilis chorus,
Adduntque æthereis ſedibus hoſpitem.
Tu dulcis patriæ gloria *Cimbricæ*,
Georgi, noſter amor; Tu vacuo abnuis
Ornari tumulo; nec potiori eges
Dono *Pieridum*; quem *Britonum* Dea
Dignata eſt thalamis ANNA fidelibus,
Quem deſideriis icta iterum petit,
Æternum cupiens ANNA ſuperſtitem.

Jonathan Cope
Sup. Ord. Commenſ. ex Æd. Chriſti.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Carmen Britannicum, quali *Eubages* & reliqui, apud veteres, *Druidæ*, diſciplinæ cauſa utebantur.

Pób Barð, pób Deruyð doet,
A ſób Deuyn divña i uybodaet,
O *Rianeð* drau, oera draet,
Hyd *Uaðon* huyra hayluait!

I brau a'r breyðuyd neitiur
A gevaeſ, govìneſ i gànur;
I bób pridyð a bridiur;
Heb gìreð guynn, o ŷn gúr.

Yuχ *Briden* ſiriola ſŷr,
ɲai'r Gogleð; guelugan a guelir:
A ſóð ed'n λidandroeð λŷr,
A girχe i dramor drevdir.

O *Lλχlyn* liɢheſvaur uèn;
Bób Ebriλ a dyant in huybren;
Gan ðiaſbad am ðiðoſ len,
I *Lλχlyn* eilχuaiŧ heden.

Brau oeð i gaur; goruynt i brŷſ;
Megiſ dirmigent ir Inyſ;
Heb vrŷd muy ðivìry míſ
Bŷŧ im Mhriden Baraduyſ.

Er kynt na ſay-uynt i ſo;
Er eſgid-ſaeŧ aſgeλ, in mydo:
Kyn kìreð kintir i bro;
I gole guelu in ðŷo.

Gogleð Eigion *Geliðon*,
Ar hìny a rŷe 'n exriſlon;
A ſób morvil a moelɲon,
A girχe dír, goryuχ i dòn.

Priderеſ (bryða dŷn)
Oeð duvur a daiar ar ðervyn?
Heb ail-ueled hayl na λŷn;
Na λiu uybyr na λuybryn.

Or gogleð âŷ i'r dehe,
A huyliun vi helynt dan àme!
In *Aan Dhían* ðyuyol dre;
Kinta golug o'r gole.

Ynbèneſ uan-obeŧ ino,
A uelun; in guilied ag uylo:
Ayr-dorχ am ubv, in briŧro;
Ayr-ſŷn am gintal, gan tro.

Ger i bròn houðgara brŷd,
Aûyd-ðeruyð; λuyr ðival ag aſtyd:
Doeŧ, divnðŷrk; ai uírk i gíd
Vel alarχ, i velinɲyd.

Am i dál àmal oeð dail
Pren uybyr (prìvuobor) yuχ ðuyaél:
Glain ſarſ ar vròn, gloyua vael;
Neidr-lŷn dluſ orb; ɲag irbail.

By àmal i imbyl er λeſ;
Ai eyðyn ðiðany'r Ynbèneſ;
Oſ hén i uírk a henueſ;
I auen at hén *Noe* oeð neſ.

Ruyvaneſ [meðe] o Briden
Bèna, er ſeiliad i ſilvaen!
Nid oes naud rhag tinged Nen.

Pendeirneſ ðiuyd ðiueir:
A noðo dyu rimoðeir;
A vo da gan Δyu as dír.

Eiry minyð guynt, yn troi
A unél mád, mád a ðilei;
Deyparð taið imbaratoi.

Eiry minyð, diðoſ nér:
Aed léu i gád, dyu ai differ:
A ðyg ange, byth ni adver.

Guaed-lem guaiu; kaled kléð:
Kuynvànys λíd; hivryd héð:
Gueðu puyλ heb anmineð.

Ketin hyn-vaλ; daλ er ðeſro:
Kaðyg hén yaiŧ er kadu i bro:
Byt Barn barð, harð; in ól i guypo.

Gul. Fowkes LL. D. è Col. Jeſu.

QUA reges placida compoſti pace quieſcunt,
Relliquiaſque ducum ſacra recondit humus;
Ponitur hic GEORGI auguſtis penetralibus urna,
Dignaque *Cæſareis* annumeratur avis:
Juxta *Carolidæ* cineres, magnæque *Mariæ*,
Tuque olim imperii grande, *Ruperte*, decus.
Par cineri ſtat honos, & habent commune ſepulchrum
Sceptraque qui firmant regia, quique gerunt.

Joannes Dugdale
Coll. Univ. Gen. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

ÆGER ut extremas ducebat GEORGIUS horas,
Notaque linquebat vividus ora color;
Auratum ponit ſceptrum, ſtratoque reclinis,
Hos animo miſeros edidit ANNA ſonos:
Siccine nos triſtes linquis? victoria pennis
Dum lætis plaudens advolat alma, fugis?
Disjunctis ergo tulimus vexilla per oras,
Ipſa ſolum quaſſans fulmine, tuque mare?
Nunc læta heu! ſubita nigreſcunt omnia morte:
Ipſa foris vinci neſcia, victa domi!
Cui, placido moriens pectus perculſus amore,
Hæc mærens, anima deficiente, refert:
Parce Tibi, nimiis ne indulge mœſta querelis,
Nec triſti immodicus palleat ore dolor.
Sæpe triumphales lauros premit atra cupreſſus,
Et claros condunt nubila fuſca dies.

Richardus Gilman
è Coll. Div. Joh. Bapt. Soc.

ONimium duris Regina exercita fatis!
Ut vitæ inceſſit flebilis ordo tuæ!
Te quoties lætam fecit Lucina parentem?
Te quoties orbam fecit acerba dies?
Quas tu? quas tecum fudit *Rhedycina* querelas,
Cum peteret ſuperas Diva *Maria* domos?
Nunc, cum parte tui meliore orbata fatiſcis,
Et gemis in viduo dimidiata toro;
Officium parat Illa pium, ſed inutile; luctus
Quod doceat noſtros, non levet, ANNA, tuos.
Siqua tamen ſoboles magna tibi luderet aula,
Altera ſpes, ſalvus ſiquis Iulus erat:
Hæc clades infanda, hæc ipſa miſerrima clades,
Non tamen ad ſeros eſſet itura dies.
Nunc cum ſis genus una, brevis vive, ANNA, ſororis,
Vive viri, & ſobolis tempora, vive tua.

Philippus Raſhleigh
è Coll. Nov. Super. Ord. Comm.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

OCcubuit *Princeps* indigna morte peremptus;
Et petit *Elyſias* grandior umbra domos.
Saxonidæ extinctum ferali carmine deflent;
Avulſum deflet *Nereus* ipſe ducem.
At Regina pium quam triſti voce Maritum
Plorat! ut iratos invocat ægra Deos!
Solus lætatur *Gallus*, parat ille triumphos;
Et fruitur noſtris gens inimica malis.
Quin demens *Lodoix* vanas conſurgis in iras;
Acrior in pugnas *Anglia* mœſta ruit.
Adveniet tempus, cum tu, *muliebribus armis*
Canitiem indecorem, ſceptraque fluxa gemes.
Quamvis illuſtrem rapiat Proſerpina *Danum*,
Illius ad manes Gallia tota cadet.

Gilb. Trowe A. B. Coll. Mert. Soc. Prob.

DUM regum auguſtas, GEORGI, deſcendis ad umbras,
Urnaque *Cæſareos* ponitur inter avos.
Non te funerei comitatur pompa triumphi
Regia, nec tumulo ſtat pretioſus honos.
At palmas inter moreris, lauroſque virentes,
Et decorant ſacrum multa trophæa rogum.
Fruſtra te tellus, buſtique ſilentia condent,
Dum referunt laudes ventus & unda tuas.

B. van Homrigh ex æde Chriſti Sup. Ord. Com.

RErum certa ſalus! ſpes ô fidiſſima noſtrum!
Soſpite qua, *Gallis* omnis adempta ſalus.
Soſpite qua, nunquam langueſcunt corda *Britannis*;
Soſpite qua, *Hiſpanas* auferet *Anglus* opes:
Quæ toties raptum quereris viduata Maritum,
Anglia quem columen ſenſit adeſſe ſibi;
Ne tantum indulge lachrymis: en *Anglia* pallet!
Et majora timet funera, tanta ferens!
Ne *Gallo* tantum placeas, dum vivere nonvis,
Conjugis & nimium quæris abire comes.
Qui nuper conjux, Genius nunc ſedulus adſtat;
Quique pater patriæ dicitur, ille Deus.

Joh. Drake Arm. Dni *Guilielmi Drake* Equ. Aurat. &
Baronet. Fil. Nat. Max. è C.C.C. Sup. Ord. Com.

O Magna claræ gloria *Daniæ*,
Tuæque nuper charior *Angliæ*;
Nunc igne ſplendenti coruſcum
Sidus, & *Angligenis* benignum:
Queis te dolebit flebilibus modis?
Queis mœſta pinget Muſa coloribus?
Luctuſque funeſtam recentis
Quam inſtituet Libitina pompam?
Quis dicet ANNÆ pectoris impetum
Non exprimendum, territa conjugis
Ut vidit exanguem figuram,
Ipſa ſimul moritura viſa?
Nunc orba plorat participem tori
Regina largis obruta fletibus,
Mœſtuſque defuncti ſenatus
Egregiam comitatur urnam.
Danuſque & *Anglus*, corda ferocia,
Quos inter olim exercuit horrida
Bellona veſanos furores,
Sanguineum quatiens flagellum;
Cum ſæva turma à littore *Danico*
Fœdabat oras cæde *Britannicas*
Inulta; jam crudis utrinque
Depoſitis odiis & armis,
Certant querelas en! ſocias tuo
Miſcere triſti fœdere Principi:
Planctus repercuſſos viciſſim
Oppoſitæ ingeminantque ripæ.
Plorant ademptum numina GEORGIUM,
Quæcunque ſedes cæruleas tenent;
Cui ſponte ſummiſit tridentem
Æquoreæ dominator undæ.
Tibi exequenti immenſa negotia
Quieta ſtravit navibus æquora,
Dilecte Princeps, nec ſecundo
Deſtituit tua vela vento;
Seu claſſis Indis ducat ab ultimis
Merces opimas, ſeu male Gallicas
Mulctet triremes, arceatque
Longius oceano *Britanno*.

Tuos triumphos deterere ingeni
Culpa nec auſim, nec laceras trabes,
Viroſque ductores, & ipſos
Fluctibus in mediis natantes
Referre. Me nempe aſpera prælia
Diraſque turmas carmine nobili
Sonare conantem Camœna
Increpuit, citharæque præſes.

Hen. Lawton
Super. ord. Com. è Coll. Linc.

DUM gemit abrepti cineres complexa mariti,
Et lachrymis nitidas polluit ANNA genas;
Effundit miſeros pullata *Britannia* queſtus,
Et recinit gemitus *Cimbrica* terra pares.
Ambas ille olim conjunxit fœdere gentes;
Ambæ jam plorant aſpera fata viri.
Sic pariles miſcent lachrymas, ſocioſque dolores,
Queſta ſuper damnis utraque terra ſuis:
Ut quanquam hoſtiles venienti tempore fraudes
Unanimes ſperent findere poſſe lares,
Nemo tamen præſens audebit rumpere vinclum;
Conjungat ſimilis cum duo regna dolor.

Richardus Jenkinſon A. B.
Ædis Chriſti Alum. Bar. Filius.

ÆTernum *Angligenis* hæret lethalis arundo;
In curſu aſſiduo dolor eſt; habitatque ſub alto
Pectore, nec curis requies datur ulla renatis.
Vix bene defletus *Naſſavus*, Martis alumnus,
Europæque ſalus; *Naſſavus* amabile nomen,
Naſſavus regni decus & tutela *Britanni*:
Et *Glovernus* adhuc manet alta mente repoſtus,
Quem vigor igneſcens animorum, & flammea virtus
Heu! cito cognati tulit in penetralia cœli.
Ire iterum in lacrymas, iterum jactare querelas
Cogimur; infandumque jubet renovare dolorem
Dudum gentis amor, gentis veneranda voluptas,
Nunc dolor, æternuſque imo ſub pectore luctus.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Dania quin pariter ſacratam lugeat umbram
Principis Auguſti; quem læta indulſerat orbi,
Ereptum plangat: lachrymarum flumina fletu
Augeat, & ſocias mœrens immiſceat undas.
At Regina gravi langueſcit ſaucia cura,
Et tremulis ulnis complexa exangue cadaver,
Hæret inexhauſtum lachrymans, & prodiga fletus
Perluit extincti frigentia membra mariti.
Non hos amplexus nec talia vulnera ſævus
Tum promiſit amor; cum vincla jugalia nexit,
Atque animam aurata transfixit utramque ſagitta.
At tandem, Regina, altos compeſce dolores,
Et lachrymas abſterge pias; ſine nubibus omnem
Exere ſplendorem; ſolitoque auguſta decore
Sudum aperi frontis cœlum, vultumque ſerena.
Sic cum olim audirent *Ariadnen* littora dura
Theſea dilectum plorantem, & multa gementem;
Mite deum numen cœlo donavit, & aſtris
Lugentem, & lætos oculis afflavit honores.

Thomas Verney Honorab. *Georgii Verney* S. T. P.
Fil. natu max. & Nov. Coll. Soc. Com.

PONe haſtas Libitina graves, numeroſaque tela;
Sat facit ad noſtras una ſagitta neces.
Anglia tota gemit, cohibet nec *Dania* luctus,
Ora rigant lachrymis utraque regna ſuis.
Te Princeps pereunte, puer ſibi quiſque parentem,
Quiſque parens puerum ſuccubuiſſe putat.
Tu meritis ſortem excedis, virtutibus annos,
Denegat hinc plures invida parca dies.
Tempora ſin meritis numerat mors improba, mirum eſt
Non citius cœlos te petiiſſe tuos.
Dum tamen immenſo gaudens incedis olympo,
Numen & agnoſcunt ſidera quæque novum;
Reſpice luctantes in vaſto gurgite claſſes,
Dirige & *Angliacas* ſtella benigna rates.
Uſque adſis *Britonum* numen; quæque arduus olim
Vibraſti Princeps arma, tuere Deus.

Ed. Harris
è Coll. Novo Soc.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Carmen Hebraicum Inciſum & Reſonum.

מְאוֹד נַפְשִׁי רָאֲבָה וְדִמְעָתִי זָבָה
כְּשִׁפּוֹלֶת רַבָּה בְּנָמְהָרִים חָרִים:
עֲמַל רוּחִי גָּבַר לְבָבִי הִתְחַפַּר
בְּהֶאֱנָחָה רָבָּה וְהָאֲמָרִים מָרִים:
רְאֵה יֵשׁ לִי מַכְאוֹב כְּמַכְאוֹבִי אִיּוֹב
בְּצוּקוֹתַי וּבְרוֹב בְּהַמְצָרִים צָרִים:
כְּאַלְמָנָה הוֹיָה מְרִינַת אַנְגְלִיָה
וּמְעָה עַל לֶחְיָה: וְנִשְׁאָרִים שָׁרִים
מוּרִים הֵם בִּמְאוֹד בְּהַאֲנִיָה שֶׁכְּבוֹר
אֲנִי אָבַד אָכוֹר: וְנֶעְבָּרִים כָּרִים
בְּלוֹ כִּי אֵל מָחָה עֵזוֹז עָם וּמְנוּחָה
וְעַל בֵּן הַשְׁמָחָה בְּאַכְזָרִים זָרִים

Rob. Clavering A. M.
Coll. Univ. Socius.

Ad Vice-Cancellarium carmen flagitantem.

QUid teneram vexas Muſam, juſſiſque fatigas?
Cur fluit in mœſtos illa coacta modos?
Sponte ſua novit lugubres edere queſtus,
Sponte ſua madidas imbre rigare genas.
Ipſa ſatis prona in luctus regalia deflet
Funera, nec ſtimulis indiget illa tuis.
Sit *Niobe* mea Muſa licet, ſit inhoſpita rupes,
Inveniet lacrymis mœſta camæna viam.
Sed tamen effuſis parcat Regina querelis,
Nec doleat nimium conjugis ANNA memor.
Interiit conjux; ſed penſet damna mariti
De buſto phœnix alter, & alter amor.
Ægides ubi deceſſit, divinus amator
Venit in amplexus, *Creſſa* puella, tuos.
Quidni illam ſimilis faciat fortuna beatam?
Dignior eſt cœlis, dignior ANNA deo.

Hen. Levett
è Coll. Nov. Scholaris.

EHeu! quis aures undique perſtrepit
Clamor gementum? non tenuis dolor,
Luctuſve vulgaris ruinæ
Mente quatit ſolidâ *Britannos.*
ANNÆ maritus, conjugii decus,
Pars magna reginæ, occidit, occidit;
Et pro triumphis mors dolendam
Inſtituit lachrymoſa pompam.
Britanna tellus, præcipe lugubres
Duci querelas, dum pia lachrymas
Regina fundit, & decenti
Ora rigat veneranda fletu.
Dilecta cervix ecce in amabili
Sinu reclinis nunc jacet, ultimos
Fidelis uxoris calores
Excipiens, ſimileſque primis.
Interque cælos, caſtaque baſia,
Flammæ prioris conſcia, mens ſtetit;
Poni & reluctans ſe beatis
Ordinibus patitur deorum.
Fœcunda laudum materies tibi,
Camœna, ſurgit; ſeu celebres virum
ANNÆ imperantem, ſeu regentem
Oceanum, liquidumque mundum.
Qualis venuſto gratia corpore,
Vultuſque magni proditor ingeni,
Dulciſque majeſtas, amorem
Quæ jubet & prohibet viciſſim!
Ponas, frementum quâ globus hoſtium
Cingat; nec atris fœta tonitribus
Tormenta terrent, nec cruentas
Flamma furens vomitura cædes.
Heu quale *Danus* ſævit aheneis
Armis! fugaces vidi ego *Galliæ*
Errare turmas, dum tremendo
Caſtra metit populoſque ferro:
Qualis ſuperbos, auxiliaribus
Adjutus auſtris, volveret impetus
Effrænis amnis, atque aperto
Projiceret nemora alta campo.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

At sævientis quis maris arbitrum
Audax sonori carminis artifex
  Depinget, & dantem minaci
    Jura freto, tumidisque ventis?
O quàm caduco credidit omine
Britanna pubes, Te duce, dirui
  Lutetiæ muros superbos,
    Egregiam meditans ruinam!
Quò Musa tendis? non tibi militum,
Sed grata rident prœlia virginum:
  In queis triumphans terga vertit,
    Persequitur juvenisque victus.

Digby Cotes A. B.
Coll. Omn. Anim. Soc.

O Spes elusæ *Britonum*, *Cimbræ*que caducus
Gentis honos! O qui proavorum sanguine longo
Insignis, patrum extendisti ingentibus ausis
Antiquum decus! eheu! non Tibi stemma superbum
Excelsusque animus, GEORGI, metuendaque bello
Dextera profuerant; Te lex rapit aspera fati,
Te tumuli tenebroso includit carcere Ditis
Flecti nescia mens, & inexorabilis orcus.
  Spargite, vos populi, regalem floribus urnam;
Ferte rosas, myrtumque, & odorum lilia munus:
Nec pudeat lacrymam ingenti superaddere busto.
Carmina nos ferimus; Tibi quis neget, optime GEORGI,
Carmina, *Pieridum* dona haud temnenda sororum?
  Me certe ante alios lugubrem promere versum
Mens bene grata jubet, meritosque indicere honores.
Hoc pater æternùm GEORGI memor, hoc domus omnis
Exigit, acceptatque lubens pia Musa laborem.
Te nostris, GEORGI, faviſſe penatibus ultro
Agnoscunt, quotquot nomen de gente *Trelaunâ*
Duxerunt non degeneres; quos nulla vetustas,
Nulla viri tanti immemores olim arguet ætas.
  O nulli, quorum veteres meminere, secundus!
Quo non *Æneas* pietate, nec inclytus *Hector*
Armis emicuit melior; non *Dardana* tellus
Defensa *Hectoreo* cineri decus addidit æquum;
Non *Anchisiadæ* raptanti ex igne parentem

Georgii Daniæ Principis Exequiæ

Juſtius accrevit ſua laus: neque *Cimbrica* pubes
Te, GEORGI, coluere minus; ſeu cum agmine Fratrem
Undique conſeptum hoſtili Tua dextra reduxit;
Sive altas Tibi ſubmiſit *Viſmaria* turres.
O virtus! O fidus amor! non principe quondam
Ullo ſe tantum jactavit *Cimbrica* tellus.
Nunc jacet exanimis, quantum heu! mutatus ab illo,
Siſtere qui lacrymas ANNÆ, qui demere curas
Aſſuevit, duræ præſens occurrere ſorti:
Nunc jacet, & totum contriſtat funere regnum.
Interea, ANNA, Tibi gravius ſub pectore vulnus
Sævit, & altius inſurgit dolor; excidit almæ
Lætus honos fronti; non blanda voce Senatum
Demulcere vacat; non Te, tua cura, *Britanni*
Tangunt ulterius; neque cor tibi recreat ægrum
Victrix *Marlburii* dextra, & numeroſa trophæa.
Non hilares choreas per mœſta palatia ducunt
Virgineæ comites, non dulci tibia cantu
Auditur; ſed vox lacrymantum, & funebre carmen,
Sed magnatum planctus, & illætabile murmur.
Parcite quin, Superi, tandem; ſat funera mœſti
Flevimus heroum; dudum ſatis ANNA rapaci
Libavit, nimiumque umbrarum tradidit orco.
Claudite nunc regalem urnam, populoque *Britanno*
ANNA diu interſit; læti procedere ſoles
Incipiant: templum inviſat Regina frequenter
Victrix, imponatque altaribus annua thura.

Joannes Trelawny,
Rev. in Chr. Patr. Epiſc. *Winton.* Fil. nat. max.
ex Æde Chriſti, ſuperioris Ordinis Commenſalis.

JAM video non poſſe homines avertere Parcas;
ANNA, nihil precibus, nil pietate vales.
Victa dolore gravi ad cœlum miſerabilis optas
(Quod ſuperi avertant!) conjugis ire comes.
Alternus regnabat amor; curæque levamen
ANNA Tibi, GEORGI; GEORGIUS, ANNA, Tibi.
Tu vero nimiumque piæ, nimiumque dolentis
(Nam potes) in cœlo conjugis eſto memor;
En! Princeps, damnat ſua ſydera nauta, Tuumque
Expectat ſydus, quo regat ille ratem.

Quos

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Quos nuper cecinit, ponit *Rhedycina* triumphos;
Et trepidat mœſtis *Iſidis* unda modis.
Oceano properat *Thameſis* qui talia narret:
Heu! miſer ille ſuas fletibus auget aquas.
Vel *Thetis* haud lachrymis tantis ploravit *Achillem*;
Hic dominus quanquam, filius ille fuit.

R. Shortgrave Coll. Wadh. Schol.

HEU! quid dolores concipit *Anglia*
Dejecta tantos? quid lacrymis vacat?
Quæ turba procedit, peremptum
Quem ſequitur veneranda? Princeps,
Æternus ergo te ſopor occupat?
Urgetque lethi dura neceſſitas;
Quo non cruento Marte, quo non
Juſtitia & pietate major?
Pugnata forti prœlia dextera,
Perfuſa multo ſanguine flumina
Boynæ fatentur; quodque magna
Elyſios petis umbra manes,
Flet triſte funus mœſta *Britannia*;
Et miſcet una *Dania* lacrymas:
At præter omnes, ANNA pectus,
ANNA pio rigat ora fletu.
Juſto at dolori ſit modus, optima
Regina; fruſtra morte reducere
Speras ademptum, qui Deorum
Nunc fruitur potiore cœtu.
Intravit Heros cælicolum domos,
Libans ſacrati pocula nectaris;
Beatus, excepto quod ANNA
Parte caret meliore vitæ.
At, ſpero, longum ſoſpite, numina,
Fruamur ANNA; multaque ſæcula
Interſit *Anglis*, luctuoſi
Grande decus, columenque regni.
Decora lauris ANNA recentibus
Ornare pergat tempora, copiis
Galli ſubactis, ſera victrix
Ad patrium reditura cœlum.

Guil. Leigh, Arm. Fil.
è Coll. Mert. ſup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Carmen *Anglo-Saxonicum.*

Ƿal la monna beaꝛn.
Leonð Oxnaforð.
Lioðƿýꝛhta æghƿilc.
Hu mæg eoꝛ nu.
On ȝeompienðe moðe.
Miþ ƿioꝛiȝanðe.
Ƿope ȝeꝛæȝeðe.
Lioða ꝛela ȝeƿýncan.
Þinȝan ꝛela lioða:
Þecȝaþ nu ꝛancꝛiþaꝛ.
Oꝛ inꝛeaꝛðne heoꝛte.
Be Leoꝛȝeꝛ Deaðe.
Þe oꝛ Anneꝛ bneoꝛte.
Fæȝne ȝ Anꝛæꝛte.
To Habnahameꝛ ȝneaban.
Þona ȝeꝛat.
He pæꝛ Denemeaꝛceꝛ.
Æþel-boꝛen ꝛunu.
Ac Bꝛittena ꝛaꝛum.
Heꝛetoga ȝeluꝛoꝛt.
Ƿiꝛ ȝ poꝛð ꝛnotoꝛ:
Þe iꝛ nu buꝛan.
Eoꝛðan ðneamum.
Heahlic upahaꝛen.
ȝ ȝeuꝛeꝛoð:

Ac iꝛ nu Annan.
Fulðoꝛꝛæꝛte cꝛene.
Fꝛoꝛꝛneꝛ miȝel ðeaꝛꝛ:
La hu mæg ic nu
Miþ ȝleaꝛum ꝛoꝛðum.
Lioða ȝeƿýncan:
Hꝛi ꝛilla þ eoꝛ nu.
Æt Oxnaꝛoꝛða.
Ðæt ic on Lunðenceaꝛtꝛe.
Soꝛȝum ȝeꝛꝛenceð.
Fela biꝛȝunȝa neccenð.
To ꝛcoꝛe ȝeꝛeaꝛþ:
Eoꝛ iꝛ to ꝛinȝanne.
Be Leoꝛȝeꝛ mæg̃ðe.
ȝ be hiꝛ mæꝛþe:
Me iꝛ to biððanne.
To Ælmiȝhtiȝum Loðe.
Miþ haliȝum ȝeðeðum.
Foꝛ Annan þæꝛe cꝛene.
Engla ðeoðe luꝛoꝛtan.
Heahꝛtan ȝ haliȝoꝛtan.
Ðæt he to hýꝛe.
Æꝛꝛe ꝛý to ꝛꝛoꝛꝛe.
Þý hit ꝛꝛa:

Guil. Elſtob, A. M.
Coll. Univ. nuper ſocius.

CANTABER, imperia affectans majora, parabat
Europæa ſuo ſubdere colla jugo.
Effrænem contra ſe objecit *Eliſa* tyrannum,
Fœmineoque graves contudit enſe minas.
Nec mora; devictus vana ſpe cedit *Iberus*,
Et ſat habet fines poſſe tenere ſuos.
At nunc æquales animos fert *Gallus*, opeſque
Affectat ſimiles ambitione pari.
Nec minus hic etiam reperit glaſſator *Eliſam*,
Atque armis victum ſe videt, ANNA, tuis.
Quo per cuncta foret par ſors, hoc defuit unum,
Conjugiorum expers ut ſit uterque torus.
Sævæ adimunt iſtud *Parcæ* diſcrimen; & ANNÆ,
Quæ toties Prolem, jam rapuere Virum.
Nunc igitur ſceptro metuas, *Lodoice*; *Britannos*
ANNA, ut te poſſit vincere, ſola regit.

Petrus Percival,
Sup. ord. Com. ex Æde Chriſti.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

DUM tibi, magne Heros, lugubris pompa paratur,
Cognatoſque inter ſiſtitur urna duces:
Diverſæ interea coeunt ad funera gentes;
Ingemit hinc mœrens *Cimber*, & inde *Brito*.
Ille ſuæ queritur direptum gentis alumnum;
Cui nuſquam oſtentat *Cimbrica* terra parem.
Hic parili lachryma factum hoſpitis urget adempti,
Quem *Britonum* indigenis annumeravit amor.
Ille genus, proavoſque, & regia ſtemmata jactat,
Geſtaque Cæſareo ſanguine digna refert:
Ut *Suecorum* acies fudit tua dextera, GEORGI,
Reſtituens, ſalvo fratre, trophæa tuis.
Hic memorat pelago ſua reddita jura *Britanno*;
Ut priſcus *Britonum*, Te duce, crevit honos.
Auſpice Te, domuit claſſes ut *Rookus Iberas*
Victor, & occidui rettulit orbis opes.
Hiſpanas *Ormondus* ut expugnaverit urbes;
Armaque ad extremas miſerit ANNA plagas.
Hæc mœſti cecinere *Brito*, *Cimberque* viciſſim;
Et luctu impatiens flevit uterque pari.
Quin Tu parce, *Brito*; Tu, *Cimber*, parce dolori;
Non eget hac Princeps, non eget Uxor ope.
Heroi tribuendus honos? rapite arma ſodales;
Hoc vos ANNA rogat, quod jubet umbra Ducis.

Joannes Bampfylde Arm.
ex Æde Chriſti Sup. ord. Com.

CUM ſat conſiliis *Danos* effulſerat inter
GEORGIUS, & toties gloria Martis erat;
Tranſit ad *Angliacos* multa virtute nitentes,
Quo melius poſſet nobiliora ſequi.
Cumque etiam hos inter ſummo cumulatus honore eſt,
Et nuſquam in terris, quem ſequeretur, erat;
Impatiens vitæ, patrium conſcendit olympum,
Arſit & ad ſocios æmulus ire Deos.

Mark-Stuart Pleydell,
Col. Oriel. ſup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ἀρχὰ τερπόμενον θυακιλάισι βρεταννοὶ,
Καὶ ςυγερὴ θρηνεῖ λῶϊον Ἀνακτα Πόην.
Οὕτως Ἀνδρομάχη, Τρώων τ' ἀλεγεινὸς ὅμιλος
Ἵστατο δακρυόεων Ἕκτορος ἀμφὶ τάφον·
Ὡς ὀλοφύραντο Κύπρις Ἄδωνιν. Μεῖζον Ἀναίτιμον
Πένθος ἔχει Ἄννης ἀμφὶ πόθος ἀίγνος ἔλιν.

Jo. Robbins, è Coll. Mert. Comm.

DUM mœsta rapti funera principis
Lugent *Britanni*, dum miseras dolor
Torquet Camænas, & frequentes
Ingeminat *Rhedycina* questus;
En! Ille grati pocula nectaris
Ducit, beatis ordinibus Deum
Adscriptus, heroasque cernit
Angliacos, atavosque *Danos*.
Illustris ANNÆ progeniem videt
Terris negatam: pendet amabilis
Cervice proles, spes caduca,
Deliciæque breves *Britannum*.
At mox ab alto despicit æthere
Terras inertes, despicit æquoris
Tractus liquentes, ipse quondam
Æquorei dominator orbis.
Hinc ora cernens pallida conjugis,
Crinesque scissos, & madidas genas,
Suspirat, angorem misertus,
ANNA, tuum, nimiosque planctus.
Quin Tu *Britannos*, maxima principum,
Tecum gementes, Te quoque respice:
Hoc Te senatus, hoc maritus
Æthereæ rogat hospes aulæ.
Frustra querelis illacrymabiles
Parcas lacessis. quin patrios lares
Tuteris, *Europæque* fœdus
Concilies, stabilemque pacem.
At cum potentis sera *Britanniæ*
Sceptrum relinques, Tu quoque lucidas
Sedes inibis. sic Camœna
Spondet amans, statuuntque parcæ.

Joh. Monson, ex Æde Christi sup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

ANNA, quid magni cineres Mariti
Perpetim lugens oculos genaſque
Polluis fletu, gemituque pectus
Conficis ægrum?
Hos nihil planctus, viduæque inanes
Conjugis queſtus moriens moratur
GEORGIUS. mœſtis (Jove ſic jubente)
Occubat umbris.
Neſcit humanis precibus moveri
Ferreus nigri dominator orci;
Neſciunt ruptum tetricæ ſorores
Ducere filum.
Mitte crudelis ſpolium ſepulchri
Flere, te major ſuper orbe poſcit
Cura, te poſcit populi *Britanni*
Speſque ſaluſque.
Hos Tibi luctus cupit auctiores
Celta; mercetur *Lodoix*; timetque,
Ne tuis tandem rapiantur armis
Sceptra, *Philippus*.
Irrita princeps ope lachrymarum
Non eget, cujus didicere dudum
Navitæ, cujus reſonare gaudent
Æquora famam.

Guil. Dyſe,
Sup. ord. Com. è Col. Reg.

Gallo-Britannicè ſeu *Armoricè*, ad *Bardorum* veterum exemplar.

AR Barz *endeus guelet ebars hynvre, nep* Derues *hoazlic, guenbènek, guiſcaſet gant ſtôl (pe caſul) erch-ụen; ha dèliou guezan ebron, melen-las, uar dro e dal hai ividigou; en ſevel dirac an* Ruanes, *ha rei 'n avis ha'n conſolation-man dezi ụar merụel an Teụeſec.*

Penpyaner bét kyz-heolek,
Itpon món ha tín anvonek!
Ankou ſín hín-glaxan gnék.

Pép tnírt-kalon kla'nvyſ ro:
Pep avir hep patientet guezo:
Ne penta'r béz birguar mano.

Dikton gnáx ụanz i xegel:
Rak neox dyuz, na hagan breſel;
Guenanen mano ne gnagel mél.

Dagnụ nénvan; ehan bnéma:
Gualax ro uan pep rceunt dna:
An gènìụ kóz ro'n kyrryl guella.

Dihual Ilir Breiz eneſek:
Pnomèra ụan pebhini, bléeck:
Pnomèra gnék bau geniek.

Dianza ha'nvel ranpant, rani:
Man mat hí, n'eo mat bnezi:
P'lex kuevn bremik, kàlon prí.

Kàr maiter rypax evit mærtner:
Kanantes ne, ne 'n erér:
Re mat lex kavan guèr, en lér.

Edw. Lhuyd,
Cim. Aſhm. S. R. S.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Carmen Arabicum.

A

الجزيرتنا ام هل عزم شورها

كذلك بصفاء الغير التقدير

احرا كذلك الحرن الاشرعنا

ودورنا في السحب وخزل النصير؛

هذا هي الاميرنا مات الوجع الشعوب

لوط بسلم مخيف جا الحرابات

مات الاميرنا بسلم ولا الجرع

الذي خوات في الحرب داشنا عركات؛

يا كلكم معاشر الشعراء عزاز

من الان سبحوا السمة والجلالا

قصوا جميعنا عجاديبه بالاشعار

التحف والثواب اشداء الابطالا؛

من الان الغار لا حافظ القوسه

يعقل النبال في جعاب والنصالا

لا ذاك بعد الدليل تجد الجيوشنا

ولا ايضا يشهد الاميرنا القتالا؛

وانتم يا اكابر عارفون المولي

وضجر الملكة الذي لا جهرة

علي المونة اسلبوا في كل ليلة

حتي بسقف العين القمر ساهرة؛

بل لك ياملكة في حادث الدهل

ثبت ولا انضجعة بالاسافتك

اعادي من قبل ظفرت بيد البعل

وتظفرينهم ذلان بيمنتك؛

J. Wallis A. M. Coll. Magd. Soc.
& Ling. Arab. Prof.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

MIttimus atratum cultus lugubris honorem:
Exiguos ea juſta rogos humilemque popellum
Sæpe decent; muti gemitus, lacrymæve loquaces,
Aut ſocius dolor, & luctus ſpectabilis horror.
At melior pietas, & magnæ gratior umbræ
Semidei, memores in carmina fida ſorores
Evocat; hæ lucem vaſtis annalibus addunt,
Facta ducum famamque illa ſub mole ſepultam
Eliciunt; claroſque novant ad buſta triumphos.
Sic *Gulielmus* ovat, recidivæ fata *Namurcæ*
Perpetuum inſtaurans: lauri vicere cupreſſos,
Et viridem ſervat muralis palma juventam.
Artibus his *Maria* Deas comitatur & auget,
Inceſſu *Diana* patens; quæ gratia vultus
Idaliis ſuffuſa roſis! ut Diva tuendo,
Accendit Superos, & ſpargit amabile fulgur!
O patrium decus, ô quantum maturuit ætas
Gloverni! ut radiat naſcenti GEORGIUS aſtro!
Quin amor eſt memorare virum; eſt evolvere tanti
Primitias Herois, & incunabula laudum.
O Princeps auguſte! tuo quas concipit ortu
Hafnia delicias, quanquam vagitibus iſtis
Clamorque ſtrepituſque & belli mille furores
Miſcentur; quamvis obſeſſam territet urbem
Guſtavo ſatus, & numeroſis adſonet armis!
Dii cunas habuere pares, ſic naſcitur *Evan*:
Circuit infandus terror, cœlique tumultus,
Et *Jovis* egregiam teſtantia fulgura prolem.
Nam cui cœlituum ceſſit fœcundior olim
Gloria, ſive atrox jaculantem tela paterna
Enceladus tremeret, vel ſævior *India* thyrſum?
Militat in tenero, cum non adoleverit, ævo
GEORGIUS, & graphicæ in tabulis compendia pugnæ
Mentitur, juſtis exercens agmina formis.
Quam pollens ductor calamis imitabile bellum
Inſtruit! ut fictis debetur laurea turmis!
Interea curans liquidi navalia regni
Munimenta, docet quo ſit condenda triremis,
Quove armanda modo; feriant quo longius hoſtem,
Et melius tormenta tonent: non *Suecia Danûm*
Infeſtabit opes quondam, aut populabitur oras
Impune: haud rapient pelagi commercia *Belgæ*.

Quinetiam ſtudia ingenuam decorantia pacem
Excoluit; ſanctas leges, æternaque novit
Fœdera, quæ populis, quæ non violanda tyrannis.
Sæpe pium *Æneam*, & fortem ſæpe relegit
Æaciden; multam numeravit lampade noctem.
Namque illum penitus *Latiæ* facundia linguæ
Imbuit, atque ſuum jactavit *Græcia* civem.
Hiſpidulæ nondum veneres, barbæque futuræ
Veſtierat levis umbra genas; non fingis, *Ulyſſe*,
Tot te urbes ſpectaſſe, quot Ille acceſſerat Aulas.
Leſtrygonas, *Cyclopa* trucem, *Scyllaſque* biformes
Vidit; in *Heſperiis* audita eſt plurima *Siren*.
Non tamen illexit cantus; nec dulcia miſcens
Pocula, quæ ſuperat madidam *Germania Circen*.
Non *Veneti* molles robur, non mentis acumen
Belgia, non caſtos temerabat *Gallia* mores.
Nunc age ſolve ratem, princeps, viſure *Britannos*,
Regna tuis cognata: illic monumenta tuorum
Aſpicies; quanto firmantem caſtra *Canutum*
Aggere! quas illo famoſas nomine foſſas!
Illic *marmoream* luſtrabis forte *catervam*,
Sollicitus, quo tantum inſenſi crimine Divi
Rollonem æterno faciunt dureſcere ſaxo.
O abſolve tuis dantem convitia *Danis*
Edmundi ſobolem: quantum virtutibus olim
Tot ſcelera, & clades, direptaque ſceptra rependes!
Sed Te bella manent: currum ferale ſonantem
Mars agit, *Arctoi* ſemper gravis incola mundi.
Suecorum inſultus, & fœdus inutile mœrens
Cimbria, Te poſcit reducem; comitatur euntem
Plauſus, & optatam quæ pandit gloria ſcenam.
Ecce! ubi confligunt acies, qua gurgite fumus
Volvitur, & craſſam variant fatalia nubem
Lumina; diſploſi circum mors plurima nitri
Stridet, & immodico ferri vis depluit imbre;
Ecce! tuus laſſâ frater virtute fatiſcens
Grandine perpetua obruitur: metit irritus enſis
Mille animas; toto jam circumfunditur hoſte.
Per gladios ignemque ruens, teſtaris amorem
Intrepidus; validæque favent pia numina dextræ.
Tu rediens in fratre refers inſigne trophæum,
Sanguineis pulchre maculis & ſulphure campi
Diſcolor;

Diſcolor; infectique placet nova purpura vultus.
Prima triumphales merito Tibi donat honores
Hæc pietas; nam quæ ſimilis, quæ fama ſecunda eſt!
Proxima funeſtæ debetur adorea *Lundæ*.
Jane, tholum cludas: imbellia GEORGIUS ardet
Caſtra ſequi tandem, & ſuſpenſis militat armis.
Te, Princeps, per vaſtum æquor, Tua regna futurum,
ANNA vocat, pulchraſque parens *Saturnia* tædas.
Parce ratem curare; dabit *Cithereia* concham
Diva ſuam, antennaſque leves, & ſerica vela,
Et quæcunque decent *Paphium* navalia portum.
Nam votis aſpirat amor; Te regia virgo
Urit, & ipſa fovens pariles ſub corde favillas,
Imperium cedit thalami, & ſociabile ſceptrum.

Guil. Whiting, A. M.
Coll. Trin. Scholaris.

Ἀναξιφόρμιγξ Φοῖβε, Θεῶν κλέος,
Παιηονὰ ἄκρον λεῖπε, καὶ ἀγλαΐαν
Μουσῶν χορείας, τῆς λύρας δὲ
Ἡδυλόγοις μετάβαλλε χορδάς·
Ἔξαρχε θρηνου· ἅδε νεκύσιον
Μέλος. Βρεττανῶν κῦδος ἀπώλετο,
Ἄνθος τε Δρυάδων· πλῶον αἰεὶ
Τειχίλιαι χάριτες γ' ἐκόσμουν.
Οἷος δ' ἄϊξεν πρὸς μόλον Ἄρεος,
Λαυδοκρώνιον, καὶ τείχεα Βιτμάρου,
Λομώδλων τε, Σουηδῶν στρατοί τε
Μαρτυρέουσι μάχλων λιπόντες.
Ἔξαρχε θρηνου· καί τ' ἀμαιμάντινον
Αἱ κωκύουσαι Μνημοσύνης κόραι
Ἄπλωσι κείνου στέμμα τιμῆς,
Τῶν τ' ἀχέων ὑπόδειγμα τύμβῳ.
Κάμος γὰρ αὐτὸν, καὶ ῥόος Ἰσιδος,
Κεῖνόν τε νῆσοι πουλὺ Βρεττανίδες
Κλαίουσι, κεῖνον θὶν τε Δρυάων,
Ἠλίβατος σταχεῖ τε Σήβων.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Πολλὸν δ᾽ Ἀχοιΐδης κεδνὴ ὀδύρε᾽ ἑταῖρε᾽,
Βοᾷ τε συχνῶς φιλοφιλὲς ἔνομα,
Κεναῖσιν ἀϋχαῖς νεκρὸν ἀΰδρα
Περσεφόνειν συγερὸν ἀπαιτεῖ·
Οὐτωσὶ σώφρων Ἀλκυόνη φίλον
Κήϋκα κλαῖεν· κ᾽ ἐν Πειάμου δόμοις
Τὸν πότμον ὠκυὼ δυσυχομῶτο
Ἕκτορο Ἀνδρομάχη σέναζε.
Γόων δ᾽ ἀϋτμων λήγετ᾽· ἀδάκρυτοι
Γένεσθε· κ᾽ γὼ τὰς σοναχὰς ἀοιὴ
Πάσας ἀΰελλαι, τάς τε μομφὰς
Ἐς βαθυὼ ὠκεανὸν φέρουσι.
Γελᾷ τε συγνὸς τῆϊ ἐνέρων ἀΰαξ
Κλαυθμὸς μαζαίοις· ὅτε γὰρ Ἄρτεμις
Λυθέντα ἵπποις κῦρεν, ὅτε
Εὐρυδίκειν ἀϋτάμβαν᾽ Ὀρφεύς.

Rog. Farbrother, è C. C. C.

EN iterum in lacrymas ſe mœſta *Britannia* ſolvat,
ANNA alto fixum pectore vulnus habet;
Vulnus habet, medioſque inter gemit illa triumphos
Heu! tibi deflendum *Danica* terra Ducem.
Tu ſcis, ut nudum adverſis ſe immiſcuit armis,
Ter ſuper occiſos ut ſtetit acer equos.
Ut Regi Fatrique ſuo ſubvenit, eandem
Et dextram hinc pietas movit, & inde fides.
Tum præſentis ovant audito nomine GEORGI,
Inque ore *Angligenum* GEORGIUS alter erat.
Palmam omnes & bella ſonant — ſed regia conjux
Obſtat, caſtra ſequi nec nova paſſus amor;
Vicit amor: coluitque Heros fovitque *Minervam*;
Dignior & lauro cinxit oliva comas.
Hujus & auſpiciis *Calpe* expugnata, nec illas,
India quas miſit, ſpectat *Iberus* opes.
Hujus & auſpiciis *Gallorum* claſſe fugata
Rookius æquoreis jura paravit aquis.
Nil eſt quod *Britones* de tanto Heroe querantur,
Ni lacrymas ANNÆ quod facit ille ſuæ.

Richardus Lyſter,
ex Ædc Chriſti, Sup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ad Reginam.

COnjugis abrepti memorem lenire dolorem
Cor micat, & trepido pectus ab igne calet.
Quæque Tibi ſupplex meditor, Regina, ſereno
Accipias vultu, dum pius urget amor.
Nec ſuperent curas populi vel Regia damna;
Nec Tibi quod triſte eſt, in tua jura rape.
Nos ultro objicimus, fatique explebimus iras,
Sis modo Tu *Britonum* gloria, cura Dei.
Principis erumpit virtus invicta ſepulcro;
Nec patitur, Muſa deficiente, mori.
Hæc fratrem toto perfuſum Marte redemit:
Hanc ſenſit tincta *Boynia* teſtis aqua.
Ultra, quod voluit ſatis eſt. Te vindice, fidus
Quod deerat multa prole rependit amans.
Quoſque armis atavi *Britonas* vicere, GEORGI;
Tu tibi devinctos mitis amore tenes.
Tu tamen ô pueris orba, & privata marito,
His inſtructa malis fortior, ANNA, redi.
Conſtrictis in Te radiis jam vibrat amorem,
Et Pater omnipotens jam tibi ſponſus erit.
Huic infixa uni, gentiſque oblita caducæ
Condiſcas animo liberiore frui.
Hactenus armorum vincis virtute Priores,
Nunc famam vincant geſta futura tuam.
Diruit immitis turres & regna tyranni, Prov. xv. 25.
Sed VIDUÆ fines firmat ubique, Deus.

Tho. Haywood, S. T. B.
Coll. Di. Jo. Bapt. Socins.

PONE triumphales, infelix *Anglia*, laurus;
Pone, nec hoſtili ſtagnantes ſanguine campos
Flandriacos memores: quid enim meminiſſe juvabit
Aut domitas *Gallorum* iras, aut cæde rubentes
Scaldis aquas? quid ſigna foris victricia proſunt,
Dum ſævit Libitina domi? dum dura ſororum
Numina *Cæſareos* populantur cæde penates?
Hei mihi! *Viſmaricis* necquicquam erepte periclis,
Sic, Princeps invicte, cadis? ſic gaudia regni
Intempeſtiva tecum ſimul abdis in urna?

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

At nec ab infauſta miſeri prænuncia fati
Ilice ſigna dedit cornix; neque tale minatus
Ferali nobis apparuit igne cometes.
Uſque adeo ſubita rapiuntur celſa ruina.
Hinc dolor, hinc lachrymæ; projecta hinc ingemit haſta
Miles, & horribiles irrorat ſanguine criſtas.
Ipſæ etiam errantes circum vada ſalſa carinæ,
Tardius æquoreis ſolito ſpatiantur in undis,
Centenaque graves teſtantur voce dolores.
At tibi, qui ex noſtro, *Lodoix*, crudelia luctu
Gaudia jam capis, & miſera lætare ruina;
Tempus erit, quum tu ſolio dejectus avito,
Lætitiæ pœnas dederis, cum Marte ſecundo
Trans *Rhodanum* ducens turmas, & Principis Umbræ
Marlburius multa *Gallorum* cæde parentans,
Impiger auguſtos placârit ſanguine Manes.

Tho. Ellis Armiger,
è Coll. Jeſu Socio-Commenſ.

Ad Reginam.

O Diva, claram quæ regis inſulam
Tuo beatam numine, quæ, jugo
Gravi reluctantes, benigna
Lege premis facili *Britannos*;
Vellem *Sabaudum* bella ſub *Alpibus*
Fauſte gerentem, atque auſpiciis tuis
Impune vexantem catervas
Borbonias celebrare verſu:
Vellem ferocem *Marlburium* ſequi,
Seu decolores ſanguine *Gallico*,
Longoſque curvatas per alveos
Danubii remearit undas;
Seu verſa retro proruat agmina
Juxta *Aldenardæ* mœnia, qua nova
Trophæa ſurgunt, qua cruentis
Auctus aquis rigat arva *Scaldis*.
Narrare vellem, plus vice ſimplici
Gallis ſubactis, *Eugenium* ducem,
Prorſum fugatis ſive *Turcis*
Zantiaco celebrem triumpho;

Cui

Cui fulminanti jam temerarius
Objecit arces *Boufflerus* arduas,
Firmaſque ducenti phalanges
Perque viros, mediaſque flammas.
Quin ô vetabat Parca malignior,
Rudique cogit pollice ducere
Lugubre carmen, quod tuorum,
Quodque tuas levet, ANNA, curas.
Tu fida ploras, tu bona conjugem
Æque fidelem, quem neque lacrymæ
Tuæ reducent unquam ab orco,
Nec ſociæ procerum querelæ.
Te, chare Princeps, murmure flebili,
Utcunque lato diſſitus æquore,
Te *Danus* urget, te colonus
Atque, tuus pariter, *Britannus*.
Te nempe fortem *Dania* vindicem
Experta, diro cum prope culmina
Everſa *Suecorum* tumultu
Imperii ruerent aviti.
Æque paratum te quoque, *Gallicis*
Damnata vinclis, grata *Britannia*
Agnoſcit ultorem, & propinquis
Auriacique tuaque dextra
Mire expeditas compedibus manus;
Heroas ambos cum radiantibus
Videre vexillis minaces,
Boiniacæ & tremuere lymphæ.
Quo Muſa tendis? define pervicax;
Hæc apta ſolum *Sarbivii* gravis
Teſtudo, ſeu *Flacci* canoræ, aut
Hanneſii reſonare chordæ;
Liquore ſacro non tibi prolui
Hac lege iniquæ Pierides dabant,
Ut ipſa fortem Heroa cœlis
In patriis valeas locare.
Hac te merentem ſorte *Dieſpiter*
Inire, Princeps, æthere lucidas
Sedes, & adſcribi *Britannis*
Ordinibus voluit Deorum;

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Quos inter almo lumine clarior
Maria, juxta & *Naſſaides* micat,
Puerque *Glovernus* recumbens
Purpureo bibit ore nectar:
Hic ante cunctos ora parentis, &
Frontem verendam, & *Cæſareas* genas
Colore divino rubentes,
Lætitiaque oculos micantes,
Præſens fatetur; queis Tua ludicra
Spectare ſuevit prælia, cum tibi
Tuiſque, *Gloverni*, triumphis
Plauderet, exiguiſque turmis.
O Diva, fortunæ lacrymabilis
Tuæ miſerti te ulterius licet
Querantur in terris morantem, &
Cœlitibus numerare mallent;
Tamen, benigno numine, civium
Preces ſecundant thure colentium, &
Te, Diva, certatim tuentur
Longius incolumem *Britannis*.
Donec ſuperbas *Angla Lutetiæ*
Evertat arces, *Malburio* Duce,
Invicta pubes, & ſub umbra
Egregiæ ſedeat ruinæ;
Captiva donec *Borbonidûm* domus
Tergo retortis regia brachiis,
Dirumque frendens *Ludovicus*
Angliacas quatiat catenas.
Te, ſi vocanti Phœbus amicior,
Muſæque cedant tempore poſtero,
Ætate provectam, domuſque
Borboniæ ſpoliis onuſtam,
Donabo cœlis; ipſe comes caput
Sublime condam nubibus, æmulus
Vatis biformis; non obibo,
Nec *Stygia* cohibebor unda.

Tho. Hind A. M.

Coll. Linc. Socius.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

TAM chari capitis turbatis morte, dolori
Quis pudor aut modus eſt?
Tu Dea, cui liquidam vocem citharamque dolentem
Finxit *Apollo*, melos
Præcipias mœſtum. Ex tremulis dum gentibus ANNA
Læta trophæa refers
Undique, dum viridis cingit tua tempora laurus;
Non ſine bile videt
Te *Libitina* minax, Furiis lethalibus acta;
Hoc decus omne tuum
Mox nubes inviſa teget, dirique veneni
Pocula fuſa tibi
Propinentur, ait; noſtras mactetur ad aras
GEORGIUS ille tuus:
Tercentis fruſtra tauris *Plutona* moveres,
Victima nulla moram
Afferet indomitæ morti; doctuſque *Machaon*
Haud magis arte valet.
Eheu! perpetuus ſopor urget Principis artus,
Morſque inamata rapit
ANNÆ dimidiam partem: non fervidus ardor
Munera juſtitiæ
Explendi, non priſca fides, pietaſve verenda,
Nec ſine labe pudor,
Non mores vitæ ſuaves, non bellica virtus,
Nec ſocialis amor
Illuſtrem in ſponſam, immitis de faucibus orci
Te innocuum eripiunt,
Muneribus belli & pacis celeberrime Princeps!
Ut tua Geſta ſonant
Per mare, per terras! Tibi, Mars ſubjecerat haſtam
Qua cecidit *Briareus*
Centimanus, *Nereus* (ſtatuit ſic ANNA) tridentem
Tradideratque Tibi,
Nec ſine jure quidem: facilis dominatus es orbi
Victor, utrique favens:
Armata ut gentes tua claſſis terruit omnes!
Vendicat iſta maris
Jus atque imperium: timuit tua fulmina *Roma*;
Te malefida pavet
Gallia, Te regio quam flavus lambit *Iberus*,
Indus uterque colit.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Aurea cum, Princeps, in cœlis ſtella refulges,
Sis memor uſque tuæ
Deſertæ claſſis, ſis ſemper ſtella benigna
Navibus *Angligenum.*
Haud fictis lachrymis tua fata *Britannia* luget,
Nec tua fata minus
Plorabit *Dania*, at quanta jam ſaucia cura
Flebilis ANNA dolet!
Ut cecidit fatis cum victima pulcher *Adonis*,
Unica cura Deæ;
Crinibus atque genis laceratis, Mater amorum
Aſtra cruenta vocat,
Et doluit, Stygias quod non ſimul iſſet ad umbras
Anxia Diva comes:
Illa Choros odit ſolitos, Myrtoque Cupreſſum
Prætulit, Illa *Paphon*
Dilectam ſprevit: talis dolor afficit ANNAM
Cordaque mœſta premit.
Sceptra invita gerit manus, & gemmata corona
Jam magè pondus habet.
Ne renovet gemitus lachrymaſque, averſa doloris
Conſcia tecta fugit.
Invocat (heu!) quoties extinctum! ut amabile nomen
Principis ingeminat!
O ſi Te avulſo, GEORGI, ſupereſſet & alter
Haud tibi diſſimilis!
Tunc nova *Vinſoriæ* ſpes picta luderet aula,
Alter & *Aſcanius*:
Qui referat forma inſignem & virtute *Glovernum*,
Et pietate Patrem.
GEORGIUS alloquio ſuavi, vultuque ſolebat,
Conſilioque ſuo
Conjugis eximiæ curas relevare prementes,
Pondus & imperii
Fallere. Sed parcas tibi mœrens Diva, nec uſque
Te dolor immodicus
Pungat; namque ſimul patimur nos: *Anglia* tecum
Statque caditque tua.
Ah! precor inviſas fidum Tu ſera Maritum,
Noſque beare diu
Digneris; propere, vitiis nec iniqua, reviſas
Regna ſuperna *Jovis*.

Joh. Wilder A. M. Coll. Pemb. Socius.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

FRuſtra labantem concutit *Inſulæ*
Eugenus arcem, & ſollicitat tuum
Boufflere pectus, dum trophæa
ANNA negat celebrare triſtis.
ANNÆ, remotis lætitia locis,
Irrorat orbum dum lachrymis torum,
Nil dulce ridet, quum ſuperbas
Jactat ovans Libitina pompas.
Deflendus *Anglis* GEORGIUS occidit,
Inviſit umbras gloria *Daniæ*!
Nec protegunt mœrentis ANNÆ
Aut gemitus, pietaſve ſponſum.
Non dextra, *Princeps*, cedere neſcia,
Quæ fratris olim certa fuit ſalus,
In te ruentem amovit ictum,
Victa trium manibus ſororum.
Quæ te canoræ Diva potens lyræ
Addet recentem ſyderibus Deum?
Grandem reponens deſtinata
Inter avos ſobolemque ſede.
Quum adſis vocatus concilio *Jovis*,
Vultu faventi reſpicias tuos;
ANNÆ gerenti ſceptra dones
Læta, dies numerare multos.
Et tu refulgens gloria ſyderum,
Claſſes beatas merce *Britannicas*,
Queis ante felix præfuiſti,
Stella reges placido nitore.
Quin ANNA luctus diſcutias graves,
Ponas querelis immodicis modum;
Sat vota donaſti benigna
Irriguo lachrymis ſepulchro.
Commota planctu ſupplice numina,
Acerba mœſtæ damna *Britanniæ*
Tandem rependant; Te futura
Prole beent, parilique ſponſo!
Glovernus alter ludet in atriis
Sperata multum gaudia gentium,
Mox cura matris, qui imminentes
Amoveat populo ruinas.

Reynolds Walker, A. B.
Coll. Magd. Sem.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Κοσμήτωρ κραταιός τ' ἀγαθός τε νεκὼς, ἴδε, κεῖται·
Εἰρώνης δεδαὼς ἠ πολέμου μεθόδους.
Τὸν τέκε τερπνὸν ἔδεθλον Οδίνου, θρέψε τε μαζῷ·
Κἄρηϊ τ' Εὐρώπης πᾶσα δίδαξε πόλις.
Ὅς ποτε μαιναμένῳ ῥῶδὰ τείχεα Βεισμαείοιο,
Σουηκῶν πυκνὸν σωρὸν ἔθυσεν Ἄρῃ.
Λοιωδήνου πεδίον δ' ἱπλαῖς κνημῖσι πατήσας,
Στέψεν ἑὴν κορυφὴν δυσμενέων ἐναρῆς.
Λθυσκρονίου μενέχαρμον ἐν ἀντιπάλαισι μάχαισιν,
Ἔγχεϊ σὺν δολιχῷ ῥύσατ' ἀδελφὸν ἑῷ.
Στυάρτυ μετέπειτα φίλην ἐδαμάσσατο κούρην·
Ἄθλον ὅπερ σεφθῶν μεῖζον ἔλῳ προτέρων.
Σύμμαχον Ἱλερμῷ τελέθων ῥῶδὰ θῆνα Βοθύδυ,
Δηΐον αἰχμητὴς αἷμα κέρασεν ὕδῃ.
Ἄξιον ὧδε κλέος, μερόπηϊον ἔλλαχε τιμήν·
Ἐν ᾗ Θεῶν θαλάμοις ἄφθιτα δῶρα φέρῃ.

Edvardus Rigby,
Coll. Reginæ Commenſalis.

Ad Epiſcopum Roſſenſem.

O Mitræ immortale Decus! qui buſta tueris
Heroum, & ſacra corpora condis humo.
Effuſi ingenii vates! qui carmine quondam
Pinxiſti gentis funera *Cecropiæ*;
Sæva magis vatem te poſcunt funera, pinge
Oxonidum luctus carmine, pinge tuos.
Tu ſolus tabula vivaci exponere fletus
Reginæ inſomnes, Tu relevare potes.
GEORGIUS occubuit; nempe invida Parca putavit
Parte alia ſponſam non potuiſſe mori.
Vix unquam ſacras ædes illuſtrior Hoſpes,
Altior intrabit vel tua corda dolor.

Guilielmus Bragg,
Sup. ord. Com. è Coll. Wadh.

M*Alburio* forti quam cauta *Britannia* cauſam,
Quam ſimul *Europæ* tot regna oppreſſa tyranno,
Quam *Flandri*, *Belgæ* fidi, ſimiliſque ruenti
Imperii ſtatus, & (quæ regno eſt charior omni)
Relligio, junctis votis mandaſſe videntur;
Dum ſic, ut ſemper, forti defendere pergit
Pectore, conſilioque pari *Blenhimius* Heros,
Vindex certus ubique; (ſed & dare jura paratus
Victis, quæ ſuperent, quicquid victoria ſperet.
Reginæ ſic more ſuæ, fert ille triumphos,
Seu caſtris, ſeu pace gerit, nec fulget in armis
Ni ſimul ut virtus, ferat & clementia laurum)
Dum ſimul oceanus refluis qua volvitur undis
Fertque refertque tuos notiſſima fama triumphos,
ANNA potens! (*Lybicas* ſeu nunc tua regia claſſis
Seu maris *Ægæi*, *Siculaſ*ve allabitur oras,
Seu *Calpen*, *Abylam*ve) tibi dum creſcit in omni
Littore palma recens, nec ab ipſis *Gadibus* uſque
Auroram & *Gangen*, ullum impenetrabile velis
Noveris eſſe tuis, eſtque & reperire quid ultra.
India ſeu fuerit, ſeu nomen *America*, quævis
Patria terra ſuis; nec, ſit licet inſula, ripa
Claudi ulla poterit, victrici nave per orbem
Extendiſſe ſuos tua ſueta *Britannia* fines.
Dum ſceptro voluere tuo ſic fata tridentem
Jungere, quo tibi quæ longinqua per æquora campi,
Per ponti ſit fama eadem! quo propria poſſet,
Quo fore perpetua hæc, unum hoc crudelior una
Atropos invidit; rapto regnique, torique
Et famæ conſorte! jacet nunc inclytus Heros,
Cujus in unius tu pectore, teque, tuaſque
Tuta reponebas lauros; Ille unus in armis,
Unus pace fuit, quicum feliciter acta
Partiri poteras, vel cui peragenda referre;
O animi pars quanta tui!
Sed jacet heu! quantus quantus! capit urna ſepultum,
Sed qualem non ulla vorax deleverit ætas:
Tam non mortale eſt, quicquid ſpiraverat altus
Heros. infirmi eſt animi exiguique crepare
Magna; placet magno potius feciſſe, tacere
Quæ nequeant alii; prima geſſiſſe juventa

Georgii Daniæ Principis Exequiæ

Quæ poterat, dicat quæ *Suecia* ſenſit in armis;
Quid ſpondere ultra voluit maturior ætas,
Militiæ doceant tentamina prima; nec omnis
Oceani curæ male præluſiſſe putetur
Balticus ipſe ſinus, tanto rectore ſuperbus.
Quid non *Boyniacas* geſſit bellator ad undas!
Quanta tuo pendet gladio victoria, plaudit
Cum teſtis, quem defendit, *Naſſovius* Heros!
Et ſunt illa, quibus poterat tuus eſſe mereri,
Diva potens! quid enim redamet *Tritonia Pallas*,
Quid *Juno*, niſi quem commendet bellica virtus.
Quem laus juſtitiæ, prudentia, junctaque firmo
Conjugio, quæcunque bonum magnumque dederunt.
His Ille auxiliis, hac arte *Britannica* vicit
Pectora, nec quicquam, cui ceſſerat ANNA, triumpho
Deeſſe alibi poterat, plauſus hinc votaque cuncti
Ingeminant; nec tanta uſquam fœlicius una
Majeſtas & amor, cenſentur ſede morari;
Nuſquam conveniſſe magis virtutis honores.
Hinc quæ tam fœlix concordia, labitur omnes
In regni partes, &, cui dedit UNIO nomen,
Juſſit in æternum pacem florere *Britannis*.

Ben. Woodroffe, A. M.
Ædis Chriſti Alumnus.

QUiſquis ades *Zeuxis*, ſuccos molire potentes,
Arte tua rapti vivat ut umbra Dei;
Incipe, pinge pios fletus lachrymaſque fideles,
Quas tribuit functo prodiga terra Duci;
Hic doleat *Nereus*, lacrymiſque exaugeat undas,
Aſſociet lacrymas auctior unda pias.
Illic terra gemat, querulos dent littora planctus,
Præſidium plorent æquora, terra ſuum.
In tabula niteant thalami lectique ſuperbi,
Cingat languentem mœſta corona Deum.
Stent perculſi omnes tantæ terrore ruinæ,
Dent gemitus omnes, nec tamen ipſe gemat.
In medio Regina gravi ſtet ſaucia cura,
Plurima divino mœreat ore *Venus*,
Triſtes evibrent oculi illætabile fulgur,
Æquabit ſi ullus fulgura tanta color.

Sis

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Sis memor, ô! calamiſque cave, dum lucida pingis
Ora, ut par nitidæ ſurgat imago Deæ.
Hanc juxta torus Heroem ſuſtentet anhelum,
Singultus quatiant Ilia laſſa graves.
Exere jam calamos, ſpirantes exere ſuccos,
Divina artifices poſcit imago manus.
Pinge oris *Veneres*, auguſtæ frontis honores,
Ægri, ſi potis es, lumina pinge Ducis.
Adde animum; – Audaces aſt hic depone colores,
Ingentem ars animum pingere nulla poteſt.

Thomas Machen Fiddes,
è Coll. Reginæ.

TOtus in luctu eſt abeunte *Perſes*
Sole, Divoque occiduo ingemiſcit,
Cynthiæ curru licet imperante
Lumine claro.
Vos quibus ceſſit celebrare cantu
Phyllidis laudem, aut teneros amores,
Sive quos *Mavors* decorat triumphis,
Numen *Apollo*,
Dulcis oblitæ citharæ, & modorum,
GEORGII *Danum Britonumque* Phœbi
Inclyti, fatum gemitu madenti
Flete Camœnæ.
Inter illuſtres animas reponit
Cœlitum turba, Rhedycina quales,
Prœliis nullam magis, atque pace
Gloria cinxit;
Ille, cum, laurum meruit ruina
Hoſtium, turmam valide repellens
Suecicam, fratrem eximeret periclis
Vindice dextra.
Ut vigor fervens glomerante toto
Militum fulſit cuneo, nitenti
Ut ſuis ductor ſolet eſſe vultu,
Dicat *Ierna*.
Illius deflent obitum; (trementes
Cernimus queſtu) *Britones*; adempto
Ore *Phœbi*, pœnæ habuiſſe lucem
Maxima pars eſt.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Non tamen præpes petat ala fati
Angliæ ſceptrum. Lacheſis, precamur,
Principi tempus modo quod negarit,
Porrigat ANNÆ.

R. Pearſe, A. M.
Aulæ S. Edmundi Vice-Princip.

DEſævi, *Gradive*, parum, & furialibus armis
Da ſpatium, tenuemque moram, dum funera mœſti
Ducimus, ingentique rogum decernimus umbræ.
Cernis ut armati Proceres, legumque potentes
Atratos ſumunt habitus, ut decolor omnis
Incedit tarde Legio; poſitiſque parumper
Signis, it paſſim luctus feralis Imago?
Quale auſa eſt Libitina nefas! quæ funera! proles
Cimbrica procubuit; genus alto à ſanguine *Swani*,
Antiquoque gerens in ſtemmate ſtemma *Canuti*:
Scilicet hunc claſſis Dominum, pelagique futurum
Semideum priſco decuit de ſanguine naſci.
Mox ingens accrevit honos, & gloria bello;
Conjugio major, cum noſtra in regna vocato
Læta maritales annexuit *Anglia* laurus.
Auſpice te, Princeps, claſſis penetravit ad *Indos*,
Quaque *Magellanum* cohibent freta fervida mundum,
Quaque procelloſas undas male *Java* colorat.
Nunc vero, miſerande, cadis, mœſtoſque *Britannos*
Deſeris, heu! rerum curis, & mole labantis
Imperii avulſus, miſeræque amplexibus ANNÆ:
Illa quidem viduo ſecumbens frigida lecto,
Sola dies queritur tardos, & tædia noctis.
Tu vero interea patrios revocaris ad ortus,
Tu cœlum, ſuperoſque lares, axemque ſerenum
Suſpicis, & nubes, & flammea ſydera calcas.
O decus æthereum, terrarum gloria quondam!
Æquoris, imperii proprii, ſit maxima cura:
Proſpera ſtella mices, & præfer lumen amicum;
Nec magis optati ſint, candida ſydera, Fratres,
Gratior erranti neque ſit Cynoſura carinæ.

J. Iſham Baronetti Filius,
ex Æde Chriſti, Sup. Ord. Commen.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ad Sereniſſimam Reginam.

Ode Catulliana.

QUUM dulcem docuit duplex *Apollo*
Et artem Medicus, Poeta & artem;
Hoc ſolatiolum *Catullianum*
Cantus non male mollicellus offert,
Opellam medicam ferente Muſa.
Mors herbas ſuperat breveis iniqua;
At impar gemino eſt Deo rebellis,
Dum *Daphne* in *Lacheſin* ſua triumphat.
Nos heu! ſollicitûm cohors medentum,
Herbam *Cimbricio* exhibemus? Eheu!
Ipſa hæc *Cimbricium* brevis flet herba
Frequens lachrymulâ tumens globoſâ.
Floram *Cimbricio* exhibemus? Eheu!
Et *Flora*, & *Dryadeis*, *Oreadeiſ*que
Gemmis roſcidulos micant ocellos:
Heu *Flora*! heu *Dryadeis*! *Oreadeiſ*que!
ANNAM *Cimbricius* beavit Heros,
Flammis hi parileis amant; amantur;
Quippe hos molliculum jugale numen
Nexit, aureoliſque plauſit alis:
Quis novit *Venerem* tenelliorem?
Nunc haut *Cimbricius* beabit Heros,
Hi nunc (haut parileis) gemunt! gemuntur!
Quippe hunc pallidulum ferale numen
Avolſit, piceiſque plauſit alis:
Quis novit *Venerem* miſelliorem?
Heu voſtrum dolor! Heu *Venus* miſella!
Sed, quæ *Cimbricium* tuos amoreis,
Tuas delitias repoſcis, ANNA,
Ne plores bibulum *Stygis* vagari;
Cantante *Oxonia* nequit perire,
(Heic quanvis bibulus *Stygis* vagetur)
Mellitus, tua cura, *Cimbricillus*:
Cantante *Oxonia* dabit *Minervæ*
Huic noſtræ duplici duplex *Apollo*
Et artem Medicus, Poeta & artem.

Joh. Griffith A. M. Coll. Mag.

Georgii Daniæ Princípis Exequiæ.

COgnatos cœlo, diviſque parentibus ortos
Credidit, & nulla violandos cuſpide, reges
Mens pia; at O facinus! Libitina invadit opimum
Infrendens ſpolium, regeſque altaribus aptat.
O quale exitium, quales mors improba cædes
Miſcuit, horrendum meditans! en! Aſthma furorem
Exuperat belli, *Martiſ*que tonitrua vincit
Morbus iners: cecidit lethali GEORGIUS ictu,
GEORGIUS, imperii decus, & tutela *Britanni.*
Illum non pietas, illum non longa tuetur
Virtutum ſeries, & geſtorum inclytus ordo.
Triſte jacet funus, dudum quem *Boynia* vidit
Sanguine *Gallorum*, atque hoſtili cæde cruentum,
Infenſas ſubigentem acies, fuſoſque rebelles.
Heu periit! quem terra ſuum ſubjecta Tonantem
Agnovit; cui regna ſuos *Neptunia* faſces
Submiſere, ducem gemit *Anglia* tota cadentem,
Dania tota gemit tanto ſpoliata patrono.
Nullum adytum, nullas neglexit flebilis aras
ANNA; deoque omni mœrens libavit honores,
Vix minor ipſa deis. Sed inexorabile fatum
Inviſum urget opus: non illi ſydera proſunt
Cognata, aut crebris aſpirant numina votis.
Non ſecus *Alcides* poſt tot diſcrimina terræ,
Tot pelagi, mediam occubuit moribundus ad *OEtam.*
Nil hominum valuere preces, ſummive parentis
Ingens auxilium, vicinaque numina: Parcæ
Acrius inceptum peragunt, orbiſque ſalutem,
Deliciaſque virorum hoc uno in funere raptant.

Joh. Strangways,
ex Aul. Cerv. Sup. Ord. Com.

COmes cruenti deſine prælii
Thalia, lætis *Marlburium* modis
Cantare, *Vandomi* imminentem
Poplitibus, timidoque tergo.
Jam docta carmen præcipe lugubre,
Quali ferebant *Orphea* robora
Movere, cum ploraret Orcum
Eurydicen iterum tenentem.

Aut

Aut quale ſuavi duceret *Italus*
Plectro *Addiſonus*, delicias tui
Si fleret ævi, te, *Wilhelme*
Eripiens avido ſepulchro.
Tali decebit dicere nænia
Terris ademtum Principem, & æmulas
Laurus virentis, vel triumpho
In medio, ſubitas cupreſſus.
Queruntur alte funera ſubditi,
Altiſſimæ ANNÆ ſunt querimoniæ;
Hi principem deflent, fidelem
Illa virum, & ſobolem futuram.
Crudele flentem jam nihil adjuvat,
Quod dura belli *Marlburio* duce,
Domique, *Godolphi* per artes
Neſtorii, bene geſta cedant.
O ANNA longum conjugii decus!
Secuta magnum Portia conjugem
Te victa dicetur, te ademto
Inda comes domino fidelis.

Robertus Dawes è Coll. Wad.
Sup. Ord. Com.

VOS præſens *Britonum* genti tutela, per orbem
Conſuetæ æquoreum pandere vela, Rates;
Dicite Vos, oras quaſcunque inviſitis, Orci
Imperio veſtrum ſuccubuiſſe Ducem.
Dicite, perpetuis ut mæreat ANNA querelis;
Ut proprio, ut *Britonum* victa dolore gemat.
Fundat amans lachrymas ad triſtia nuntia *Cimber*;
Nec ficcis adſtet navita *Belga* genis.
GEORGIUS hos etiam ſocio conjunxit amore,
Et claſſem in tutis currere fecit aquis.
Ne tamen *Angliaco* graſſetur in æquore *Gallus*,
Aut impune ſuas ſpondeat ire rates.
Arbiter in pelago dominabitur uſque *Britannus*,
Cui ſignat Navis *Pembrochiana* viam.

Franciſcus Wollaſton Wilkins Arm. Fil.
ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

REgina crebris dum lachrymis genas
Fædat decoras, heu! nimium pia,
Gravique ſuccumbens dolori,
Pene ſuum ſequitur maritum:
Britanna pubes conſcia vulneris,
Miſcet dolores en! ſociabiles,
Heroa deplorans ademptum,
Atque ſuæ metuens ſaluti.
Quin & *Britannis* non ita creditum
Triſtis requirit *Dania* Principem,
Fletuque noſtro vix minores,
Sæpe ſuas iterat querelas.
Fruſtra: GEORGI, Tu geminæ decus,
Tu, Dive, gentis nunc geminæ dolor,
Inviſis orcum, neve *Danis*,
Neve Tuis ſuperes *Britannis*.
Quem vel tiaræ ſplendor amabilis,
Injurioſus vel rapit ambitus,
Per mille graſſatur pericla,
Gloriæ amans minus invidendæ:
Te nuda virtus, Te pietas Tua,
Et cura aviti certior imperi
Per tela, per fulmen ruentem
Impulit in medias phalanges.
Sic viſa quondam vis Tua bellica,
Fratri imminentem ſic Tua dextera
Removit urnam, ſpes labantis
Una domus, columenque ſceptri.
Sed nunc rigentes torpor iners premit
Artus, & ingens inſolitus nigrat
Languor cadaver, dum ſupernas
Nobilior petit umbra ſedes.
Quàm nunc ruinis fata ſuperbiunt!
Quàm nunc iniquis parta laboribus
Jactant trophæa! & luctuoſam
Dura novat Libitina pompam!
Aſt O! fideli mitia Conjugi
Parcant! triumphos neu celebrent novos!
Longum O! ſuperſtes, miſte Divis,
Parte Tui meliore vivas!

T. Jenner, A. B. Coll. Magd. Sem.

ERgo invidentes ſtamina GEORGIO
Rumpunt Sorores? Ergo rapax manus
Plutonis indiſcreta miſcet
Oſſa ducum, cinereſque vulgi?
Nec multa virtus, nec pietas moram
Fecere fato? nec bona conjugi
Succurrit ANNA, aut arte fidens
Heu! nimium dubia *Machaon*?
Dudum filentes, Tu mea *Pieri*,
I, tende chordas. Cur ego credulus
Scrutarer ultra quid medentum
Admonuit, vetuitve turba?
Nil, quæ *Galenus* dogmata congerit
Diſpar magiſtro, nil moror amplius
Quid pollicetur charta *Coi*
Hippocratis, meliorque norma.
Urgente fato, nil poterit liquor
Expreſſus herbis mille, nec artifex
Quodcunque *Boyleus* fluenti
Pharmacon elicuit metallo.
Quod ſi medentis dextera *Delii*
Fruſtra laboret, non pariter chelyn
Tentabit incaſſum; nec artes
Pieridum ſuperabit Orcus.
Me ſi benigno numine *Cynthius*
Reſpectet æquus, ſiquid ego loquar
Olim audiendum, Te noveno
Gurgite non cohibebit amnis
Pallens *Averni*. Te patriæ decus,
Invicte *Cimber*, Te *Britonum* undique
Tutamen, ANNÆ Te beatum
Conjugio, memori ſonabit
Camœna verſu, quem veniens leget
Ætas nepotum. Non aliter manus
Phœbea ſubvenit cadenti
Oebalidæ, revocare vitam
Conata ſuccis fruſtra; at eburneam
Feliciori ſorte movens lyram,
Cantavit extinctos amores,
Damna necis reparante plectro.

Richardus Frewin, M. B.
Ædis Chr. Alumn. *Chymiæ Prof.*

QUanquam horrens framea, & florenti milite cinctus,
Fulminat ad *Scaldim*, victorque ſuperbit in armis
Marlburius: quanquam furiaſque iraſque *Scotorum*
Finitimis, gratum compeſcat fœdus, iniquas:
Huic tamen, huic uni, juvat indulgere dolori.
Quos Regina fovet curarum in pectore fluctus!
Quæ, pulchre mœrens, repetit ſuſpiria! ſponſi
Cum pallor ſenſim ſubit ora, & frigidus horror.
Jam primum, percuſſa ſinus, te ſuſtinet ægrum,
GEORGI, onus ingratum, primumque invita labellis
Oſcula delibat; bibulo vagulamque fluentemque
Ore legens animam, mediis frigeſcit in ulnis.
Ecce! atra volitans umbra mors, nubila lambit
Tempora, hebentque gravi languentque natantia motu
Lumina. formoſo quantum ô! mutatus ab illo
Qui quondam, radianti effulgens luce, frementem
Exercebat equum, curſuque agitabat anhelum
Vinſoriæ ad turres; fuſive per æquora campi
Jamjamque intentus prædæ, veſtigia ſtrinxit.
Nec ſolum placidi ſtudiis illuſtrior oti
Floruit, igne armiſque viam affectabat Olympo.
Fare age; turbato dubioque in cardine rerum
Quantus in arma ruit, qualiſque in turbine belli
Intonuit: nigranti obductus pulvere, ſumoque
Obſcurus, ſævit tela inter ſtridula, glandes:
Haud nebula cinctus (*Græcos* quæ veſtiit olim
Heroas, denſum timidiſque induxit amictum)
Aſt animo ardenti, & nativo fulmine tutus.
Qualis in ore decor! Qualiſque huic flammeus ardor
Scintillatque micatque oculis! quæ gratia flagrat!
Cum ſpumantis equi luctantia comprimit ora.
Crediderim *Libycis Martem* ſpatiarier agris,
Horrendiſque indutum armis, tentare caballos
Nare ignem efflantes, rabiemque inhibere furentum.
At quorſum arripior? ſurgenti ridet imago,
Paſſiſque excipiens uberrima gaudia velis,
Ægre iras Atropi repeto tetricoſque triumphos.
Audiit extremum GEORGI illætabile fatum,
Irroratque genas confuſa *Britannia* fletu;
Audiit, atque imo gemitus dans pectore, torquet

Lumina, corda tumet, cæcoque angore laborat,
Datque vagis ſparſos crines diffundere ventis.
Audiit *Auguſtæ* turrita ad mœnia fluctus
Thameſis evolvens querulos, metuenſque futuro
Ne non ſuppeterent undæ, lachrymæque dolori,
Alta petit, pleno refluitque inde auctior alveo.
Miſſus ubique fragor per regna liquentia; Nymphæ
Intremuere omnes, *Phorcuſque*, & cærula turba
Sparſa per æquoreos cumulos, perque agmen aquarum.
Nec curæ immunis, triſti aut ſecurus ab ictu,
Nube cares, *Nereu*, per glauca cubilia torvus
Ingemis, extinctoque maris domitore ſecundo,
Magne, Tibi metuis, lapſoſque tridentis honores
Horrenti, ægre animum mulcet modulamine *Triton*.
At quos conſpicio cœli per concava tractus
Luce albeſcentes ſubita, flammaque trementi?
Ille, Ille eſt, liquidumque volat ſuper æthera notus,
Lætumque incedens, limen miratur Olympi.
Porrigit ultro ulnas frater, grato ore ſalutat,
Frendentiſque memor *Sueci*, victique pericli,
Colla petit; charos arctat concordia Fratres.
Dum *Gloverne*, moræ impatiens, veneraris euntem,
Lumine fixum hærens avido, amplexuque tenaci,
Oſcula daſque capiſque; filenti in pectore ſerpunt
Gaudia fuſa, frui fatiſque videre malignis.
Gloverne, O! ſi qua rupiſſes aſpera fata,
Nuſquam iræ, inſidiæque, & dira urgeret *Erynnys*
Angligenas; cæcos ſpiranſve atro ore tumultus
Factio, ferali horreret ferrugine vultus,
*Anna*ve queſta Ducem, fleret ſolatia rapta.
Haud ultra, Regina, genas tibi ſplendida gutta
Irriget, at pulchro tandem & roſeo ore ſerena
Majeſtas ſedeat: ſtipat circum atria turba,
Mitrati & proceres, fulgetque ex ordine pompa.
His ſolitos radios ſi effundas, ANNA; labori
Lætius inſtabunt; conatuſque ardua *Gallus*
Collectas metuet vires, atque arma *Britannum*.

Joſ. Nicolſon
Reverendi admodum Epiſcopi *Carliolenſis*
Filius natu Maximus. è Coll. Reginæ.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

QUÆ Muſa vati præcipiet modum
Doloris? aut quæ carmina Principem
Flebunt ademptum? nec querelæ,
Nec revocare valent Camœnæ.
Si vera virtus, ſi genus, aut opes,
Vitæ ſupremis, ſi pietas moram
Præberet horis, ô GEORGI,
Non tua jam populus, nec ANNA
Triſtis doleret funera. ſed ſatis
Experta dudum eſt *Anglia*, victimas
Regeſque mortis Principeſque
Serius aut Citius futuros.
Durum: ſed inducas animum pati,
Regina, quod non effugias licet.
Docebat olim Te *Glovernus*
Poſt obitum lacrymas inanes.
Compeſce mentem: nec populum anxium
Ultra querelis exanima Tuis:
Ægre ſuum paſſus dolorem,
Haud populus ferat, ANNA, veſtrum.

Henricus Ingram,
Honoratiſſimi Domini Vice-Comitis *Irwin*
Frater Germanus, è Coll. Oriel.

MItte importunos *Parnaſſia* turba triumphos;
Dum fatum abrepti conjugis ANNA dolet.
Spes cecidit, quondam acturæ miracula, prolis,
Qualia materna vidimus acta manu.
Ah! tantos non digna pati Regina dolores,
Sat patriæ curas ſuſtinuiſſe graves.
Non doluit tuus ille Tibi parere Maritus,
Tu Regina quidem, ſed tamen uxor eras.
Conſortes vere divini; Conjuge tanta
Vir dignus, tanto fœmina digna Viro.
Sed Dea non vobis, cui vincla jugalia curæ,
Vincla dedit nullo diſſoluenda die.
Ah! ne perpetuo indulge miſeranda dolori,
Sufficiat *Gallos* vincere, fata nequis.

Johannes Slatter,
Com. è Coll. Wadh.

DUM rabie armorum, dubioque exercita bello
Intremit *Europa*, & turbat diſcordia gentes;
Vos ſolum *Britones* udo munimine cinctos
Neptuni tenet alma quies: effundat in oras
Exitium externas claſſis, populoſque fatiget,
Vos Marte expediat, *Lauruque* innectat *Olivam*.
Non tamen hoſtili fatorum corda furore
Sæva vacant, poſitæve animis cœleſtibus iræ;
Regales urget victrix Libitina triumphos,
Cæſaream inſtaurat cladem, renovatque ruinas,
Daniacuſque Heros fugit immaturus ad umbras.
Quod ſi non *Anglis* alia mercede liceret
Pace frui, faſtuſque Ducum, denſaſque cohortes
Frangere, ſi tanti cœleſtia munera conſtent;
Gloria non ultra placeat, ſævique favores
Divorum, multa fumet *Brittannia* cæde,
Suſtineatque omnem Martem, nobiſque recedat
Heu nimium pretioſa quies! nec regia clades
Fulciat imperium, noſtræque emat otia genti.
Non Tu, *Naſſaides*, variis defuncte periclis,
Direptaque tumens inimico vertice lauru,
Proſtratiſque potens populis, illuſtrior umbris
Acceſſiſti hoſpes, nec major victima morti:
Quantus bella ciet, qualiſque aſſurgit in hoſtem
Lethifero gladio, & debellat fulmine gentes,
Suecia teſtetur; teſtetur dextera, fratrem
Præſens tutari, & patriam firmare labantem.
Sic olim *Anchiſen* per mille ſequentia tela
Æneas rapuit, medioque ex hoſte revulſit;
Hoc noſtro impar Heroi, quod fœda ſalutem
Huic fuga conceſſit, virtute Hic contudit hoſtem.
Et licet effœto tandem annis robore corpus
Debile ſuccubuit, renuitque pericula Martis;
Non animum fregit morbus, non bellica virtus
Detumuit, non corde furens elanguit ardor.
Arma abſens movit, doctus ſignare tabellis
Qua refugos Celtas in prœlia cogeret arte
Malburius, rapidiſve everteret oppida flammis;
Vel chartis quaſſare potens hoſtilia regna.
Illius auſpiciis domito *Brittannica* claſſis
Exultans pelago, longinquas concutit oras:

Seu jubet *Herculeas* turres proſternere, & arces
Montibus impoſitas, auratasve urere puppes
Attonitæ *Heſperiæ*, & ſtridenti immergere ponto.
Trojanas Græcaſque acies ſic *Jupiter Ida*
Proſpiciens procul, exæquat certamina Martis
Arbiter, & tonitru ſpargit diſtantia bella:
Injicit hinc *Danais* incendia dira carinis
Hector, & *Ajacis* tremuere hinc mœnia dextra,
Divum conſiliis atque auxiliaribus armis.
Effuſos quis nunc *Reginæ* ſiſtere luctus,
Quis *Britonum* valeat, raptique rependere cladem?
Luſtremus gentes, non uno deficit alter
Avulſo, & ſimili floreſcat conjuge lectus;
Hic denſas natorum urnas, cineresque frequentes,
Hic ſponſi fatum abſolvat, ſimiliſque priori
Vinſoriana iterum *Glovernus* ludat in Aula.

Gul. Jenkin, Coll. Magd. Sem.

Ad Reginam.

MUltis caducum dum lacrymis virum,
Regina, luges; dum cineres ſuper
Ploras calentes; & ſepulchro
Ferre breves properas honores:
Præſens dolenti, funereæ comes
Camœna pompæ, *Pieriis* ſonat
Heroa chordis, nec ſileri
Nocte ſacram patietur umbram.
Audis, frequentes ut recinant lyræ?
Audis? per arces *Aonias* ſonus
Orphêus errat, GEORGIUMque
Multo iterat *Rhedycina* plectro.
Hic clariorem volvit originem,
Et ſtemma priſcis *Cæſaribus* nitens;
At ille mirandas juventæ
Primitias, teneræque dextræ
Conamen audax; ut pius hoſtium
Inauſpicatos reppulit impetus;
Fratremque captivum reduxit,
Non ſine Diis animoſus ultor.

Dum molliori carmine quiſpiam
Tædas jugales, & thalamos canens,
Fidos amores, heu breves! heu
Pollicitos meliora! flebit.
Atqui poetæ, quos generoſior
Accendit ardor, Muſaque bellicis
Aſſueta palmis, multa GEORGI
Geſta ſuper memoranda tradent
Ævo futuro; ſeu ſimilem patri
Ponant *Gradivo*, quaſſaque mœnia,
Urbeſque vaſtantem, fugatis
Retro equitum, peditumque turmis!
Seu, more *Neptuni*, æquoreum canant
Sceptrum gerentem, frænaque *Gallicæ*
Injecta claſſi, dum reportat
Occiduas, ſpolia ampla, gazas.
Fors & recentes inter adoreas,
Vates futuri temporis exitum,
Magnoſque menſes, & propinquos
Proſpiciens referet triumphos.
O ille felix plus vice ſimplici
Poeta, verſu qui decus imperî
Creſcentis, æternamque laurum,
ANNA, tuis habilem capillis
Æquare poſſit! me patrius labor,
Me conſulentis munia curiæ, &
Rebus *Britannis* mens paranda,
Caſtaliis revocant ab undis.

Edvardus Harley
ex Æde Chriſti, Sup. Ord. Com.

QUI modo deliciæ populique ANNÆque fuiſti,
Jam defuncte jaces ſummus utrique dolor.
Conſociant gemitus Muſæ nunc *Dano-Britannæ*,
Communemque ornat nænia mixta rogum.
Docta dat *Oxonium* geminæ ſolatia genti,
Cimbrorum & caſus plangit, & ANNA, Tuos.
Quin mœſta ignoſcas brevibus, Regina, querelis,
Si minus hunc celebrem, ne cruciere magis.

Ric. Bouchier
è Coll. Madg. Sem.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Melibœus, Tityrus, & Amyntas.

M. QUidnam, neglectis inſueto more capillis,
Squallentique adeo, dulciſſime *Tityre*, vultu,
Hic ſolus ſcopulos inter ſaltuſque ſilentes
Funeſtum querula modularis carmen avena?

T. Quî nunc ut quondam (precor) ô *Melibœe*, ſerenam
Induerem faciem, toti cum luctibus agri
Indulgent, nemus omne gemit, vicinaque cautes
Plus ſolito lacrymat, ſolito plus murmurat unda,
Cunctaque funereis plorant *Corydona* querelis.

M. Ille ergo interiit? *T.* Periit pulcherrimus ille
Paſtorum *Corydon*, quem tot (lugubre!) Napææ,
Tot deflent *Dryades*, tepido quot vere cicadæ
In pratis ſtrepitant, ſaltantque in montibus agni.

M. Hoc, credo, crudele malum prævidit *Alexis*;
Nam ſævum, haud pridem, & minitantem dira cometam
Dum nobis mœſtus deſcriberet, anxia ſæpe
Emiſiſſe ſuo ſuſpiria pectore ſenſi.

T. Ipſe mali *Phœbus* præſentis conſcius, ora
Abdidit; ipſa novos perpeſſa eſt Luna labores.

M. Ergone per lætos errat jam, *Tityre*, campos
Immemor armenti *Corydon*? Nunquamne reviſet
Paſtores, atque hos, nuper ſua gaudia, lucos?

T. Qui *Lethes* guſtavit aquas, *Melibœe*, redire
Neſcit: nec pecudes illi, nec paſcua curæ.

M. Me miſerum! quantis angor cruciatibus! at tu
Nil frigus lethale doles *Corydonis*, *Amynta*?

A. Ingemo: fatidicæ ſed ſic voluere Sorores.
Ergo modum, *Melibœe*, tuis impone querelis;
Undanteſque etiam cohibe tu, *Tityre*, luctus.

T. At quiſnam errantes paſſim per rura capellas
Curabit! Quis paſtor oves ſervabit & agnos?

A. Ante alias *Corydon* dilexit *Phyllida*: *Phyllis*
Coget oves, *Phyllis* teneros cuſtodiet agnos.
Hæc eadem errantes paſſim per rura capellas
Colliget: *hæc* etiam genus exitiale luporum
Pellet, & à torvis defendet ſepta leænis.

M. *Hanc* igitur nos paſtores cantabimus omnes.

T. Omnes *hanc* ſcopuli, fontes, ſylvæque loquentur.

J. Cartwright
Commenſalis è Coll. Æn. Naſ.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

QUid gravi *Nereus* gemitu ſonantes
Percutit tandem ſcopulos? quid æſtu
Fervet ingenti mare? quæve Nymphæ
Funera lugent?
GEORGIUS *Danum* decus, & *Britannum*
Forte munimen cecidit; dolonis,
Qui gravis contriſtat utramque gentem,
Inclytus author.
ANNA, quæ finem ſtatuis modumque
Hoſtibus, finem miſeris querelis
Pone, nec *Gallo* gravius fideles
Læde *Britannos*.
Ille, quem luges, procul hinc ad aſtra
Fugit, & miſtus ſuperis morantem
Excitat Famam, recinat per orbem
Ut Tua bella.

Jacobus Fenton, A. B.
C. C. C. Diſcip.

CLadibus exultans variis denſaverat umbras
Funeribus Libitina; ipſum ſatiaſſet Avernum,
Si ſciret ſatiari, omneſque exhauſerat iras:
Fruſtra autem fumant undantes ſanguine campi
Flandriaci, fruſtra torquentes flumine turmas
In mare purpureis volvuntur fluctibus amnes;
Armorumque fragor ſtridet, qua vortice *Rhenus*
Urget iter tumido, qua molli *Mincius* unda
Murmurat, aut *Tagus* auratis flaveſcit arenis:
Sævit adhuc Pluto, totumque explere furorem
Clade una ſtatuens, diviſas conflat in ictum
Unum iras, *Cimbrumque Heroa* ad Tartara mittit.
Qui retudit *Suecorum* acies, torvaſque cohortes
Fregit ovans, patrioſque hoſtili ſanguine Manes
Placavit victor; quem vidit *Boynia* fluctus
Adverſos ſulcantem, & anhelo littora niſu
Ardua ſcandentem, dum tela ſonantia fruſtra
Objecere moras, tempeſtas plumbea fruſtra
Deſuper intonuit, porrectæque ordine dirum
Fulſerunt haſtarum acies, nunc præda ſepulchro
Occidit indigna; & lapſu tria Regna fatiſcunt.

Quæ Muſa interea poſſit depingere luctus
Reginæ? ſperet quis fando æquare dolores?
Quum Princeps luctantem animam ſub morte trahebat,
Extremoque fugax erravit ſpiritus ore:
Quum, nece paulatim diros urgente triumphos,
Aſpexit Conjux oculos languere natantes,
Æterniſque premi tenebris; quum corpus inerti
Conſtrictum torpere gelu, veniſque cruore
Concreto rigidis animæ ſpiramina claudi:
Quum Fati confoſſus ineluctabilis ictu
Supremo, dilectam halavit pectore vitam.
Quàm vultus ſparſit lachrymis, præcordia palmis
Contudit, & triſti fudit ſuſpiria corde!
Innocuamque furens laceravit dextra tiaram!
Ipſa mori voluit: ſociataque funera Divos
Poſcit, & ex uno pendentes ſtamine mortes.
Fata tamen *Britoneſque* vetant: quis fulciet Heros
Nutantem *Europam*, paribuſque in bella cohortes
Auſpiciis fundet, ſi Te maturior Orci
Vis rapiet, patrioſque daret contingere cœlos,
Dum nondum armorum tumidus deferbuit æſtus,
Dum ſævit Bellum, dubioque in cardine pendet?
O! noſtri Regina memor! jam nubila fronte
Diffugiant, iterumque orbi ſuccurre ruenti
Ut mœſtas ponas, ſponſus jubet ipſe, querelas;
Qui letho Auguſtus veteres inſtaurat honores,
Victrix umbra novat rediviva in morte trophæa.
En! tenues *Suecorum* animæ, quas fortis ad umbras
Dextra egit, fugiunt trepidæ, patriaſque paludes
Boyniacæ memor undæ quærit *Hybernus* in Orco.
Quanquam nulla Ducis vibrata haſtilia ſtrident
Jam manibus, facieſve infixis aſpera telis
Horreſcit, licet exangui Libitina fugavit
Ore minas oculorum & Mavortem exuit omnem.
Sic poſtquam *Hectoreas* nequiit confringere vires
Græcia, nec ratibus flammas arcere, catervis,
Foſſarumve moris, ſtructoque ad ſydera muro;
Nudum armis ſeſe *Teucris* objecit *Achilles*,
Aſpectuque iras hoſtiles contudit, ore
Victor, & alternans facie diſcrimina belli.
Quinetiam, Princeps, functis ſi talia curæ,
Si decus exanimes, ſi gloria poſthuma tangit,

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

En! quali ingentes veſtras pietate Camœnæ
Ornant relliquias: demiſſa *Britannia* quantum,
Plorat, ut indulget lachrymis, fruiturque dolore!
Inſolitis deflet Tua funera *Scotia* guttis
Aſpera, ſinceroque humeſcit *Hybernia* luctu.
Conſpice *Scandiacam* gentem; quo jactat alumno
Se tanto faſtu, qualiſque aſſurgit in auras
Magna prole ferox, ſibi totum Heroa repoſcens;
Heu gens crudelis! tibi denegat, *Anglia*, partem.
Avulſum tellus ſociis plangoribus urget,
Immitemque odit morbum, precibuſque favere
Segnes Te cœlos vana pietate repoſcit.
Conclamant omnes, Hunc expediiſſe volentes
Dii nece debuerant, virtuſve potentior iras
Sterneret infernas, legeſque refigeret orci.

Pet. Cox
è Coll. Mag. Demiſ.

Ad Somnum.

O Somne, blandum Numen amantibus,
Præſens amico pectora virginum
Mulcere ramo, qui fugacem
Sæpe mihi revocas *Corinnam*:
Huc antra linquens ſole carentia,
Stratumque florem, remigio citus
Adſis filenti, roſcidoſque
Adde, tuum populum, ſopores.
Pauliſper ANNÆ leniter incubans,
Diſſolve curas pectoris incolas;
Et mollicellis pervicaces
Illaquees oculos catenis.
En! fraude *Morpheus* ludit amabili,
Charamque amanti gratus imaginem
Redonat, ereptique amores
Artifici referuntur umbra:
Illic *Glovernus*, tramite lucido,
Nuper recepto prævius Hoſpiti,
Cervice reclini, lacerto
Implicitus breviore pendet.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Hunc mater aſtris indigetem videt,
Heu mire avaris! non ſine gaudio,
Vultuque ſubridens dolenti,
Ambiguo rigat ora fletu.
Infuſus illic ambrofio ſinu
Heros *Mariæ* redditus inſidet;
Et haurit æternas, ocello
Suſpiciens fitiente, flammas.
Quam vellet aſtris ocyus inferi,
Mundi labantis heu nimis immemor!
Toroſque non rurſus caducos
Perpetuis ſtabilire vinclis.
Sed Parca famam deſtinat uberem,
Meſſeſque laurus prodiga *Galliæ*,
Et cogit invitam vacare
Imparibus *Britonum* triumphis.
Sero trophæis accipiat gravem
Cimber fidelis participem poli;
Comamque victricem volenti
Dividuis religet corollis.

Geo. Bubb,
è Coll. Exon. Super. Ord. Commenſalis.

GEORGIUS, æquorei linquens moderamina regni,
Elyſia Heroas per loca viſit avos.
Thamiſis interea lecto ſe tollit ab imo,
Et ſolvit querulis flebilis ora ſonis.
Quo fugis, exclamat, liquidarum rector aquarum,
Quæ te fata meo diripuere ſinu?
Auſpice te, Princeps, ſpernebam nuper arenas,
Aurifero dives quas vehit amne *Tagus*.
Auſpice te, cunctas ditavit me ſuper undas
Rookius, *Ormondo* per freta longa comes.
Quid mihi nunc prodeſt fluviis dare jura remotis,
Ceruleæque plagæ me penes uſque tridens?
Eôæ quid me merces ſolantur, opeſque
Deponens gremio claſſis *Ibera* meo?
Quid me mille mihi ſtantes in littore puppes?
Dum, quæ te revehat, non erit ulla ratis.

Iſ. Terry, ex Ælde Chriſti, inf. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ

CUR non ſigna edit, ſublato Principe, cœlum?
Cur non accenſo crine cometa rubet?
Tantane vos, ſtellæ, cepere oblivia GEORGI?
Debuit haud tantus vir ſine teſte mori.
Cæſaris ad funus tremefactus inhorruit æther;
Et multo exarſit conſcius igne polus.
Poſt obitum eſt *Perſeus* ſubvectus ad aſtra: micatque
Cor *Caroli* æthereis addita ſtella plagis.
GEORGIUS æquales cur non ſortitur honores?
Cur non cœleſti Sydus in arce nitet?
Non illo quiſquam ſtellato gratior orbi;
Non quiſquam ſtellas fovit amore pari.
Annuit ille tuis cœptis, O *Tycho Britanne*,
Æternumque typis vivere juſſit opus.
Hic legimus, Sol circumiens quo volvitur orbe;
Ut peragit gyri Luna minoris iter:
Ut certam obſervant redeuntia ſydera legem;
Navibus & ſignant per freta longa viam.
O tu, *Tycho*, ſciens aſtrorum, hunc aſſere cœlo;
Et *Britonum* ducat, duxit ut ante, rates.

M. Thurſton,
è Coll. Univ. Comm.

GALLOS fugaces *Marlburius* premit
Dum victor, altas *Eugenius* quatit
Turreſque Lilæ, & *Gallicana*
Arma vehit galeaſque *Scaldis*:
Victrix triumphos dum parat *Albion*;
*Galluſ*que, fractis viribus, impotens
Luget; fugam indignans gemitque
Indecorem *Lodoix* nepotum:
Heu! ſors cupreſſum miſcuit invida
Lauru malignam, clade *Britanniam*
Urgetque funeſta, urget ANNÆ
Corda piæ propiore luctu.
Cunctis dolendus GEORGIUS occidit
Illuſtris *Anglis*, queis patriæ ſalus
ANNÆve cordi eſt, vera virtus
Alma quibus pietaſve curæ eſt.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Quam Marte præſtans, quantus acinacem
Strinxitque, teſtis *Suecia*; bellicas
Juverna laudes victa narrat,
Boyniacæ referuntque ripæ.
Quam laude dignus præfuit *Anglicæ*
Claſſi, fatetur *Gallia*, *Americæ*
Teſtatur ereptum gerenſque,
ANNA, tuam faciem numiſma.
Quam charus *Anglis* occubuit ſuis,
Quam charus ANNÆ, compita luctibus
Repleta monſtrant; monſtrat orbæ
Conjugis immodicuſque fletus.
At magna Princeps, Te precibus piis
Orant *Britanni*, Te manibus rogat
Europa paſſis, pone tandem,
Pone modum miſeris querelis.
Illum repoſcunt Dii, Tibi creditum
Brevi; rependent Dii Tibi temporis
Duplum, Marito quod negarunt,
Si *Britonum* pia vota curant.
At Muſa triſtis deſine næniæ;
Major querelis, GEORGIUS æthera
Petit triumphans; jamque gaudet
Ætherea novus hoſpes aula.
Ulnis Nepotem dum *Carolus* piis,
Lætus parentem dumque *Glovernius*
Fovet, benignum Numen *Anglis*
Inter avos atavoſque regnat.

G. Penrodock, Sup. Ord. Com.
è Coll. Reginæ.

ANGLIA (quæ gemino victrix late imperat orbi,
Quam tellus, *Thetidis* quam vaga regna tremunt)
Solvitur in lacrymas, ANNÆ concuſſa querelis,
Et ſocia immixtis fletibus ora rigat.
Orba parens olim nato Regina perempto,
Ingemuit; rapto nunc gemit orba viro.
Verum O! ſi meritos expleſſet GEORGIUS annos,
Tardior extremum traxerat hora diem.
Auſus pro fratre haud dubiæ ſe opponere morti,
Illius ætatem vixerat, atque ſuam.

Tho. Newſham, è Coll. Mert.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

QUO rapax orcus, nimiumque noſtro
Geſtiens luctu Libitina tendit?
Parca quid volvit, minus heu! *Britannis*
Numen amicum?
Sat per Heroum tumulos juventus
Triſtis inceſſit, ſatis ad ſepulchrum
Flevit auguſtum, egregioſque Manes
Addidit orco.
Impiæ ceſſit *Carolus* ſecuri,
Poſteris ſanguis ſacer. O probroſum
Funus! O virtus, & in omne Princeps
Flebilis ævum!
Ceſſit infœlix *Caroli* propago
Invido Diti; nec amor fidelis
Civium, aut fletus potuere duram a-
vertere ſortem.
Legibus fati ſua non *Mariam*
Forma, non ardens pietas redemit;
Multiplex ANNÆ ſoboles virenti
Occidit ævo.
Vidimus tardo *Thameſin* fluento
Ire, portantem teneri cadaver
Principis: flentem Oceanum, & gementes
Vidimus amnes.
Hiſce placari exequiis avarum
Spes erat fatum: ſed iniqua Parcæ
Dextra inexpletum furit, & recenti
Læta triumphat
Funere: O ſemper nimium ſepulchro
Fertilis Mater! gravior reſurgit
Jam tibi cura, exanimem dolenti,
ANNA, Maritum.
Ille *Suecarum* domitor phalangum
GEORGIUS, multo celebris triumpho,
Occidit tandem, *Stygio*que merſit
Gurgite lauros.
Unde non illum ſuperas ad auras
Conjugis mœſtæ lacrymæ reducent;
Non, quibus ductor bonus imperabat,
Mille carinæ.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Quem ſibi tandem *Britones* vocabunt
Imperi curis habilem! Quis æque
Diriget claſſem, parilique ducet
Omine turmas?
Explica lætam recreata frontem,
ANNA, veſanas populo querelas
Deme; Tu rebus patriæ ordinandis
Sufficis una.
Tu maris latum imperium tuere
Arbitra, hoſtiles tua ſigna vindex
Mitte per campos, & ames vocari
Æmula *Eliſæ.*

Eliab Harvey Arm. Fil.
ex Æde Chriſti, Sup. Ord. Com.

INvicti fatum centeno carmine GEORGI,
Et centum linguis tu, *Rhedycina*, dole.
Te, Princeps, raptum luget tua bellica claſſis,
Plenaque nunc ſine te pandere vela timet.
Fundit inexhauſtos fletus, molleſque querelas,
Fœminei, durus nauta, doloris opem.
Nec non & proceres lachrymas, totuſque ſenatus
Mittunt, exequiis dona ſuprema tuis.
Nec luctu leviore ſui flet *Dania* funus,
Olim magnanimi patria chara Ducis.
Illa tuas memorat laudes, & martia facta,
Facta quidem nullo non memoranda die.
Ut pietate ardens fudiſti hoſtilia *Suecum*
Agmina, fulmineo cominus enſe furens.
Ut tua concluſum ſervavit dextera fratrem,
Et ſalvum è medio reddidit hoſte ſuis.
Sed neque fratris amor, belli nec vividus ardor,
Indomitæ morti, nec tulit ANNA moram.
Haud aliter, turmas *Graium* atque incendia ſpernens
Æneas, tremulum duxit ab Urbe patrem.
Perque acies medias, cædes, *Danaum*que furorem,
Et pius & fortis grande ferebat onus.
Verum non illum pietas, non martia virtus
Eripuit letho, nec *Cytherea* parens.

E. Iſham Baronet. Fil.
è Coll. Wad. Comm.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Carmen poſt conſpectam ceream Principis imaginem compoſitum.

VIdetis! an me ludit amabilis
Dolus laboris *Pygmalionei*?
Fatiſque mutatis ab orco
Jam rediit redivivus exul?
Leges refregit jam *Stygis* eloquens
Et lachrymarum blandior hoſtia?
ANNAMque dilectus revifit,
Et populos reditum rogantes?
Sed cur inanis gaudia ſomnii
Jactamus? eheu, occidit! horrida
Virga retentat cautus *Hermes*,
Et domitum cohibent catenæ.
Agnoſco fraudem: ſcilicet occidit
Illuſtris orbi gloria ſæculi!
Spes gentis! hunc crudelis atra
Corripuit Libitina pompa.
Niſus ineptos ars levis explicat:
Quam parcus ardet ſplendor imaginis!
Mittuntque flammas nunc ocelli
Innocuas, & inerme fulgur.
Sic Muſa laudum prodiga inanium
Fruſtra elaborat carmen inutile;
Nec pingit ad vivum illa mentem
Egregiam, neque cera vultum.

Hen. Vincent, A. B.
Equ. Aurat. Fil. nat. ſecund. C. C. C. Diſcip.

DIC *Thymbræe*, precor, quali chelys aurea plectro
Inſonuit, quantaſque dedit gemebunda querelas,
Cum pueri tu fata tui, dulciſque Hyacinthum
Exortem vitæ fleres, nemora ipſa canoro
Demulcens planctu, & ſitientes carmina montes.
Si ſic, ANNA, Tuos poteram mulcere dolores,
Et raptum lugere Virum, miſerabile carmen
Inciperem mœrens, *Maſſylos* quale leones
Molliret, *Libycoſque*, & duros frangeret *Indos*;
Ipſe etiam ingemeret *Lodoix*, fletuque rigaret

Ora novo, proprias deponens pectore curas,
Et decus avulſum, & *Churchilli* inamabile nomen.
Heu! qualem infælix effundet *Dania* planctum,
Singultuſque dabit; cum ſævæ vulnere pacis
Abreptum accipiet, quem primæ in flore juventæ
Illæſum obſtupuit medios ſævire per ignes?
En! Juvenem frendentem ira, ſuccurrere Fratri
Quem nimia impellit pietas; ut fulminat armis,
Præcipiteſque agitat *Suecos*! juvat ire per omnem
Belli nubem, & qua denſiſſimus ingruit horror!
Ipſe labor pulviſque decent, notat ignis honeſtis
Ora notis, ardenſque accendit purpura vultus.
Tanta olim famæ dedit argumenta futuræ
Scipio, ſic juvenis fato patriamque patremque
Eripuit; lætos Heroi afflavit honores
Gloria, fulgentique caput circumdedit aura.
Hunc, ANNA, ardorem, atque immenſos pectoris æſtus
Tu ſolum lenire potes, Tu Diva furentem
Compeſcis *Danum*, reſtinguens ignibus ignes:
Namque Tuæ poſtquam divinos frontis honores
Conſpexit, blanda ſeſe caluiſſe favilla
Miratur, Veneriſque ſuæ cervice reclinem
Non ultra lituive juvant aut prœlia Martem.
Exultent alii ſpoliis, & pulvere campi,
Arrepto cingant rutilos diademate crines;
Iratique fremant Reges, *Lodoixque* nocendi
Prodigus indignetur, & armis miſceat orbem.
Tu, GEORGI, hos inter motus, ſtrepitumque ſerenus
Emergis, ſimiliſque Tui; non fulmina belli,
Infenſæque acies, & ſceptra minantia ſceptris
Incutiunt terrorem animis, aut pectora quaſſant;
Quin mentem tenet alta quies, dum tempora circum
Innocuæ laurus, & fœlix ſerpit oliva.
E medio talis placidum caput *Anglia* ponto
Attollit, liquidique hoſtis conamina ridens,
Undarum fruitur rabie, fruſtraque minacem
Lœta haurit pelagi fremitum, fluctuſque ſonoros.
Fœlix, heu! nimium fœlix, dum fata ſinebant,
Inſula! quo Tua non erravit in æquore claſſis
Sub *Dani* auſpiciis? Quas non penetraverat oras,
Nos opibus replens, & *Dani* nomine mundum?

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Aſt illum Superi rapiunt, atque invidus ordo
Fatorum: cœlo nam nuper miſſus ab alto
Interpres divum, regales protinus ædes
Invaſit, divino atque hæc eſt ore locutus.
O multum dilecte Deis, quem Conjugis almæ
Et pietas, & caſta fides, ſinceraque vita
Detinuere diu terris, Te *Dane*, Deorum
Concilium poſcit, ſuperaſque evadere ad arces,
Et tandem patriis jubet annumerarier aſtris.
Dixit, & avertens radianti lumine tectum;
Incendit, plauditque alis, & ſidere gaudet.
Quis tunc, *Anna*, Tibi cernenti talia ſenſus?
Quoſve dabas gemitus? Quem non mollire precando
Aggrederis Superum? & dilectum pignus amoris
Amplexa, heu! quoties nequicquam nomine clamas?
Ille Deum paret juſſis, atque ocius auras
Dividit, & totam recreat novus incola cœlum.
Sic quondam ingenti mentem labefacta dolore,
Dilaniata comas, fugientem vocibus ultro
Æneam inſequitur *Dido*, dulcemque morari
Alloquio conata virum: quin ille coactus
Fatis, admonituque Deum, nova littora quærit
Sedulus, & lœtos meliori ſidere campos.
At Tu Dive recens, & magni nominis umbra,
Quem Fatum exemit curis, cœloque locavit
Indigites inter Natos, quos ſtringere nexu
Deſueto longum gaudes, Tu reſpice, fidæ
Et miſerere ANNÆ, ſecretaque gaudia flenti
Inſpires, miſeræque affles ſolamina cœli.

C. Harvey A. B.
Coll. Magd. Sem.

AUſpice Te, GEORGI, victricia ſigna per æquor
Vidimus, & *Tamiſin* ponere jura mari.
Vidimus *Hiſpanum* noſtris in claſſibus aurum,
Hoſtilique graves merce redire rates.
Nunc alios, heu! mœſta, parat Tibi quercus honores,
Et domini extremos inſtruit uſta rogos.
Sic media *Alcides Oeta* ſuccumbit, & arbor
Oſſa cremat, circum quæ ſolet ire comas.

Joh. Coryton
Ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

O Anna, dudum cui querimonias
Sublatus atro funere plurimus
Excivit Infans, quam Maritus
Jam lacrymas iterare cogit.
Compesce luctus, heu! cineri Ducis
Nil profuturos; nec cupias Tibi
Sponsum redonari, beatis
Cœlicolum domibus relictis;
Qua cum *Wilhelmo* sub pede sydera
Nubesque cernit: nunc simul hauriunt
Læti culullos, nectarisque
Pocula; mox memorant rubentem
Cruore *Boynum*, qua Tuus agmina
Ferrata Mavors plus vice simplici
Perrupit iracundus, ipsi
Dans alacres animos *Wilhelmo*.
Mox te relictam commemorant. gravem
Tu trade ventis tristitiam, neque
Dolor malignus Te ante tempus
Præcipitem vel ad astra mittat.
Comptonus astat, qui gemitus tuos
Sistet, peritus corda salubribus
Mulcere verbis: sin dolentem
Dulcibus alloquiis levare
Frustra laboret; tum Tibi recreet
Mentem, revertens Victor ab hostibus
Infignis, & penset superbo
Funera *Marlburius* triumpho.

Tho. Ward
Ædis Christi Alumnus.

Dum populos, late victrix, domat Anna superbos,
Et colit ultricem libera terra *Deam*,
Cœlicolum resonant sociatis plausibus astra;
Nec sunt cœlesti gesta minora lyra.
Egregii partem Princeps agit ipse triumphi
Æthereos inter conspiciendus avos.
Dignior accessit cœli quis sedibus hospes?
Laudibus aut propior quis, *Gulielme*, tuis?
Præsideat tecum *Britonum* fælicibus armis;
Tu terræ imperites arbiter, Ille mari.

Gulielmus Cowper,
Coll. Wadh. Sup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Carmen Copticum.

Ⲁϩⲁ ϩⲉⲙⲙⲓⲕⲟⲩⲏⲣⲟⲥ ⲃⲣⲉϩⲓ ⲉⲧⲉⲕⲓⲱⲓ ⲡⲓⲱⲁⲕⲁⲣⲓⲥⲱⲟⲥ,
Ⲛⲉⲱⲡⲓⲥⲱⲃⲓ ⲟⲩⲧⲉⲙⲡⲓⲣⲱⲱⲓ ϣⲉϥⲥⲟⲥ ϥⲛⲉⲑⲱⲙⲛ.
Ϥⲛ ⲱⲧⲛⲓϣⲧⲟⲩⲣⲟ ⲛⲁⲣⲉⲣⲓ ⲧⲉⲱⲉⲧⲟⲩⲣⲟ ⲧⲉⲧⲭⲛⲁⲱⲙ?
Ⲕⲉⲉⲧⲁⲣⲉⲣⲟ ⲡⲁⲛⲟⲩⲃ ⲡⲓⲉⲡⲉϩ, ϩⲉⲛⲧⲁⲙⲅⲗⲓⲁ ⲁϥϩⲱⲥ?
Ϥⲛⲉⲧⲁⲩ ⲡⲉϭⲣⲟ ⲉⲃⲟⲗ ⲛⲓⲭⲁⲭⲓ ⲛⲁⲁϥⲱⲟⲩⲧ ϥⲛⲉⲧⲡⲁⲁϥ.
Ⲉⲱⲁⲁϣ ⲁⲛⲣⲁϣⲓ ϩⲓⲧⲉⲛ ⲡⲉⲉⲧⲣⲁⲃⲓⲟⲛ ⲛⲟⲩⲱⲁⲛϩ.
Ⲁⲗⲗⲁ ⲟⲩⲟⲓ! ⲡⲉⲱⲱⲡⲓⲭⲗⲟⲟⲩ ⲡⲁⲟⲩⲣⲱⲟⲩ ⲉⲩⲃⲱⲛⲧ, ⲓⲭⲉ
Ⲉϥⲛⲁϣⲓⲃⲧ ϥⲟⲣⲓⲛⲟⲛ ⲛⲛⲓϥⲱⲗⲕ ⲛϩⲙⲛⲧⲗⲩⲡⲏ.
Ⲱ ϥⲛⲉⲧϣⲗⲁϩ, ⲟⲩⲣⲟ! ⲟⲛⲉⲣⲣⲓⲱⲓⲧⲛⲟⲩ ⲡⲓⲟⲕⲉⲱⲓ!
Ⲉⲭⲉⲡⲓⲱⲟⲩ ⲛⲧⲉϯⲃⲁⲟⲩⲱⲕ ⲛⲧⲉ ⲡⲉⲥⲗⲟⲕ ⲡⲁⲟⲩⲣⲟ!
Ⲱ ϥⲛⲉⲧϣⲗⲁϩ, ⲟⲩⲣⲟ! ⲟⲛ ⲉⲡⲉϩⲓ ϩⲁ ⲫϩⲁⲧⲉⲣⲱⲟⲩⲓ
Ⲉⲭⲉⲛ ⲛϩⲁⲓ ⲉⲣⲣⲓⲱⲓ ϥⲛ ⲛⲧⲉϥ ⲁⲙⲅⲗⲓⲁ ⲡⲓⲱⲧ,
ϥⲛ ⲛⲓⲭⲁⲭⲓ ⲛⲧⲉ ⲡⲟⲩϫⲱⲣϩ ⲁϥⲥⲱⲟⲩ ⲕⲉϩⲁϥⲧϣⲓⲛⲓ ϫⲱⲣⲓ,
Ⲉⲭⲉⲛ ⲛϩⲁⲓ ⲉⲣⲣⲓⲱⲓ, ϥⲛⲉⲃⲟⲗ ⲧⲉⲕⲱⲱⲉⲓ ⲁϥϫⲁϥⲡⲓⲟⲩⲣⲟ,
Ⲡⲗⲏⲛ ⲥⲱⲛϩ, ⲛⲛⲓⲁⲣⲟ ⲛⲧⲉⲡⲉⲣⲱⲟⲩⲟⲩⲓ ⲱⲧⲛⲓϣⲧ ⲗⲏⲏⲗ:
Ⲡⲓⲱⲟⲩ ⲁϥⲥⲱⲟⲩⲉⲣⲟϥ ⲉⲃⲟⲗ ⲛⲉⲗⲃⲁⲗ ⲉⲡⲉ ⲡⲓϩⲏⲧ,
Ⲁϥⲱⲛϩ ΓⲈⲰⲢΓⲒⲞⲤ ϩⲉⲛⲛⲓϩⲏⲧⲛⲓⲃⲉⲗ, ⲧⲱϥϩⲣⲓ ⲛⲓϣⲧ,
Ⲁϥⲱⲛϩ ⲧⲉϥⲯⲩⲭⲏ ϩⲉⲛⲛⲓϥⲛⲟⲩⲧ ⲉⲧϩⲛⲓⲗⲟⲩⲧ.

E Bodleiana Bibliotheca. *David Wilkins*, Boruſſus.

Ad Reginam.

TAndem querelis pone modum Tuis,
Et lachrymarum define mollium,
Vireſque mentis firmiores
Exere, magnanimumque robur.
Ne forma fulgens, heu! facilis mori,
Neglecta rugas contrahat aſperas,
Crudelior ne Parca Martem,
Quæ rapuit, Veneremque raptet.
Vices nefandas Dii tamen arceant,
Serventque nobis tempus in ultimum
Reginam amabilem, trophæa
Quam nova quotidie beabunt.
Quin ô! querelæ ſi nequeant Tuæ
Sponſi fidelis fata recludere;
Te ſubditorum, Te labantis
Imperii pia cura tangat.
Te, Te minorem conſiliis Dei,
Decreta cœli ſancta coerceant;
Beatus ille eſt, qui decore
Compoſita requieſcit urna.

Thomas Cary,
Coll. Æn. Naſ. Sup. ord. Com.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

SPes fuerat Ducis exequias, urnamque recentem
Auriaci potuiſſe Orcum, Parcaſque morari;
Et fore placatos iterato funere Divos.
Danæ gentis honos, ſimul & tutela *Britannæ*,
Cui ſceptri decus indulſit Bellona, tridentem
Neptunus; toto vindex quique æquore *Iberas*,
Borboniaſque rates agitavit, flebilis Umbra
GEORGIUS, heu! jacet exutis jam fulmine & armis.
Jam Martis ſiluere minæ, jam buccina vocem
Spirat feralem: tremula per compita luce
Triſte micant tædæ, pompæ & mœſtiſſimus ordo
Funereæ inſequitur buſtum venerabile; luget
Pullatus procerumque chorus, plebiſque, dolendas
Principis exequias, mœſtum & molitur honorem.
Credidimus, (Tua ſic ſpondebat bellica virtus,)
Surgere mox longo felices ordine lauros,
Et frangi *Lodoici* animum potuiſſe ſuperbum,
Hiſpanaſque Tuo deleri fulmine claſſes,
Et fore disjectum furtiva ſede *Philippum*.
Sed Tua vis animi defervet: Martius horror
Languit extinctus; non bellica buccina cantu
Corda ciet; diadema, & ſceptra *Britannica* linquis
Mortuus; & palmas vetuit Libitina futuras.
At Tibi, magne Heros, vix enarrabilis ardor
Et pietas animi, cum Marte & fulmine vindex
Mille neci dederis: cum denſa per arma, per ignes,
Et *Suecos* fruſtra hoſtiles, olim arma ferebas
Fratris in auxilium; nomen, ſemperque virentes
Æternant lauros dextræ victricis honores.
Haud tamen una pias acri confixa dolore
Solvitur in lachrymas, ſalſoque exuberat imbre
Anglia; quin ſocios fletus, ſociaſque querelas
Flebilis abſentem nos poſcens *Dania* Divum
Commiſcet, dubiiſque laborat pendula fatis.
Quis luctus tamen, ANNA, tuos, quis carmine fletus
Pingat inexhauſtos, quando urnam amplexa calentem
Fuſa foves ulnis; lachrymiſque per ora volutis
Intus vulnus alis, cœleſtiaque oſcula figis?
Non ſolitus nitet ore decor, non frontis honores
Sublucent nivei, & divinæ gratia formæ.
Sed dubios Patriæ vigil imo corde volutans,

Europæ

Europæ & caſus, Divos orbata repoſcis
Conſortem thalami; qui, (cùm communis utrumque
Cura habuit, communis amor) Tibi fidus adeſſet
Uſque aris, ſolioque comes; curaſque levavit.
Sic olim *Heſperii* indulſit conſortia regni,
Et thalami *Æneæ Latii* Regina; marito
Et ſceptri partita decus, partita dolores.
Cui jam victrices laurus, latumque profundi
Imperium cedent? Quis ſceptra *Britannica* firmans
Intonet Oceano, ſubjectiſque imperet undis?
Quin, Diva, indubitare aſtris abſiſte timendo,
Deſine inexhauſtis ultra incuſare querelis
Parcarum invidiam, duroſque laceſſere Divos.
Tu Dea, ſola potes commune rependere damnum,
Communes firmans tanto moderamine gentes,
Præſens *Europæ* ſydus. Te ſoſpite, *Iberus*
Et *Celtæ* horreſcunt; ſpondet ſibi *Belga* ſalutem;
Nec tantos poſcunt ingentia funera luctus.
Et Tu, magne Heros, nativis addite cœlis,
Inter avos, atavoſque Deos; intende *Britannis*,
Ut quondam, curas. ſic non ſolaminis expers
Dania, cum pavidis mittet ſuſpiria votis.
Sic Tu, Relliquiæ, ſupremaque munera cœli,
Manibus Auguſtis cupies minus ire ſub umbras
Anna, comes. ſic nos & iniqua abſolvimus aſtra.

Rad. Pomfret
A. M. ꝛCCC.

O Qui ſalutem rite ſciens manu
Certa miniſtras, non minus artifex
Lenire, quos addis, dierum
Aoniis numeris laborem:
Cura medendi nunc poſita bene
Accede vates, nec licet obriat
Silentium Heroem perenne,
Tu fileas taciturnus æque.
Velut caducum cùm genus *Æaci*
(Cremata buſtum cui dedit Ilios)
Reliquit eluſis parentem
Pollicitam meliora Graiis:

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Victoris uſum ſollicitæ brevem
Plorant *Athenæ* non ſine carmine
Culpante Parcas, & perempto
Promeritum decus arrogante
Nequicquam. eodem quo dominus modi
Tendunt inanes, carmine dum pio
Dulcem elaborarat ſoporem
Mæonides animæ vaganti.
At ô labantem quis deus Inſulam
Jam fulcit? ANNÆ pars manet altera,
Pars una tantum, flebilique
Solvitur exanimis dolore.
Quæ, ſævit armis dum Lodoix fremens,
Forti ruentem ſuſtinuit manu
Immota mundum, ſive tellus
Sive tremat ſua jura pontus,
Heu! mortis ictu nunc cadit invido:
Nunc magna luctu debilitata mens
Succumbit, atque una trophæa.
Cuncta videt ſuperata cæde.

C. Cotes, Coll. Mert. Port.

ERgo cadit tot virtutum munimine ſeptus,
Diis charus ſuperis, ſed nimis, ANNA, tibi?
Ah! quam pœne ipſam mors importuna peremit,
Et ſacro maduit ſanguine dira manus?
Vidi illam ſparſos raptim laniare capillos,
Et gelidæ præceps mittere corpus humo,
Flet vel adhuc: tanto nec ſufficit ipſa dolori,
Cui ſuper-incumbens vel levis orbis erat.
Quin lacrymis parcas, quanquam ille à morte tenetur,
Nec potes immitem flectere, Diva, Deam.
Nam Tibi cum magnis hoc eſt commune Deabus,
Dardanium flebat ſic *Cytherea* Virum.
Et cum *Tithonum* minuit rugoſa ſenectus,
Auroram ſolito plus maduiſſe ferunt.

Joh. Dobſon,
Nov. Coll. Schol.

POST *Martis* æſtus & litui ſonos,
Bellator audax, incolumis lares
Viſens paternos, dum referre
Facta ducum, & ſua facta geſtit:
Me vividus fert impetus hoſtico
Narrare fractas vertice caſſidas,
Ac pæne confectum ſecundis
Eugenii auſpiciis duellum, &
Quodcunque, forti *Marlburio* viam
Pandente, miles geſſerit impiger:
Sed Muſa languet, ſed recuſat
Muſa lyræ ſociare chordas.
Eheu! trementes quis gemitus procul
Emiſſus aures, quis dolor attigit?
Queis inquinavit cæca noſtros
Funeribus Lacheſis triumphos?
Ah! magne Princeps, ut fera mors tuis,
Acerba victrix, inſidet oſculis?
Exangue ut amiſſo cadaver
Hoſpite ſydereo rigeſcit?
Certe haud fuiſti talis, amabili ex-
ſpectante ſponſa, *Teutonicum* mare
Cum finderes, evectus alti
Dorſa ſuper ſpatioſa ponti.
Cum nuptiales concineret modos
Juxta triremes *Nereidum* chorus,
Ventoſque præberet ſerenos
Velivolæ dominator undæ.
O grande ſummi depoſitum Dei,
(Seu te beatæ flammigeri ætheris
Plagæ repoſcunt, ſive amœnas
Elyſii colis umbra ſedes,)
Tutam haurienti lætitiam otii
Si quid ſuperſit, reſpice quas tuo
Non erubeſcendas adornat
Exequias Libitina buſto.
Formoſa blandas (en!) lachrymis genas
Irrorat Auguſta, ac pariter ciet
Fletus, *Thaliæ Cynthio*que
Chara diu *Rhedycina Phœbo*.

Et forſan æque, ſe capite arduo
Qua tollit altis *Hafnia* mœnibus,
Te virgines mærent *Codanæ*,
Et vacuo decorant ſepulchro.
Illuſtre ſed Tu *Carolidum* genus,
O Diva, tandem deſine luctuum,
(Sat luctui indultum,) nec ultra
Conjugium ſine fine plores.
Regnante te, quin lilia *Gallica*
Cernant cohortes quid *Britonum* valent;
Neu longius graſſari inultas
Celtiacas patiare claſſes.
Hæc nos fideles, & ſtudio pio
Freti ac juventa: cætera, carmine
Indigna mortali, *Addiſonus*
Grandiloqua referet camœna.

Theophilus Metcalfe, ex Aul. Cerv. Comm.

HActenus invictis *Marlburius* intonat armis
Fælix necquicquam, atque irrorat ſanguine campos
Gallorum, ſolitos necquicquam inſtaurat honores
Angligenis; diros ducit Libitina triumphos,
Funeribuſque ducum exultat, ſpoliiſque ſuperba
Magnanimûm Heroum, conturbat gaudia luctu,
Inque elegos vertit lætum Pœana gementes.
O lux *Daniadum*! rigidi O generoſa *Canuti*
Progenies! quem non lethalis ſibila plumbi
Terruerant, quem non telorum miſſilis imber
Perculit attonitum, aut belli circumfluus horror,
Indigni jam præda cadis pretioſa ſepulchri!
Grandia dum recinunt lugubres facta Camœnæ,
Et ſacram exornant fidis annalibus urnam.
Cimbrorum longum vexarat *Suecica* pubes
Imperium, & late miſeros vaſtaverat agros
Cladibus innumeris; cum ſurgit gloria gentis
GEORGIUS, & verſas turmas in prælia cogit,
Impaviduſque furit medio in certamine Martis.
Vandalici extemplo aufugiunt, & morte propinqua
Obſtupuere acies, victricia ſigna ruentes
Principis agnoſcunt, *Lanſcroniaque* arva relinquunt
Indecores, & ſaxa petunt latebroſa *Codani*.

Nec

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Nec minus intremuit victorem *Boynia*, famæ
Æmulus *Auriacæ*, fusos cum stravit *Hybernos*
Impiger, & pulchram petiit per vulnera mortem.
Ora catervatim aspiceres mordentia terram
Celtarum, tepidoque natantia membra cruore.
O! quantas strages, quæ funera volvit onustus
Amnis, dum *Senonas* metuendo fulmine *Danus*
Prosequitur Princeps, & dextram clade fatigat
Purpuream, totumque humectat sanguine corpus!
At, vos *Angliades* Musæ, queis dexter *Apollo*
Indulsit faciles numeros, artemque canendi,
Marlburii egregias paulum desistite laudes
Dicere, & assuetos plectro ingeminare triumphos:
Sed plorate gravis fortunæ vulnus acerbum,
Atque pias lachrymas superaddite Principis umbræ
Ingenti, versusque haûd irrita dona sepulchro.
Interea augustæ resonant plangoribus ædes;
Demittunt mentes, atque atra veste *Britannum*
Incedunt proceres, suspirat tristior ANNA
Nunc demum infelix, solamenque ægra recusat,
Conjugis attonita interitu, propriaque ruina.

Rob. Lloyd Armig. Fil. è Coll. Magd. Sup. Ord. Comm.

DUM lacrymis veneranda, ipsoque decora dolore
Amissum plorat flebilis ANNA Virum;
Percussa *Anglorum* duplici gens ingemit ictu:
Hinc fletus pietas elicit, inde fides.
Omnes decedens Princeps, Regina, doloris
Causa Tui torquet, torquet & ipse dolor.
Quis melius radio poterat describere cœlos,
Quis tantâ aereas noverat arte Domos?
Hinc rexit *Britonum* classes, solique secundus
Neptuno, æquoreis imperitabat aquis.
At nulla illarum, quas observare solebat,
Nuntiat instantem conscia stella necem;
Omnia sed languent, atque ægra luce renident,
Versa in funereas, sydera mœsta, faces.
Undarum plorat Dominum *Nereia* turba;
Ipsa etiam in lacrymas solvitur unda novas.
Lugent Heroem, qui nuper missus ad astra
Affulget propriis lumine clarus aquis;

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Dirigit atque alma radiorum luce *Britannum*,
Quas modo per pelagus duxerat ipſe, rates.
Glovernus præiit, genitor nunc æthera ſcandit;
Hic regni columen, ſpes brevis ille fuit.
Sic ſe ſolatur, populum ſic ANNA gementem,
Gens *Britonum*, Tu vir, Tu mihi natus eris.

Tho. Acworth, C. C. C. Diſcip.

CUM *Daniæ* ingens gloria GEORGIUS
Languens ſub atra morte recumberet,
Durique vis inſana morbi
Pæoniam ſuperaret artem;
Inter dolentes luctibus obruta
Stetit miniſtras, oraque fletibus
Regina crebris irrigavit,
Acriter ingeminans querelas.
Tum primum acerbus fortia Principis
Invaſit horror pectora, tum pio
Heroa percuſſit dolore
Fœminei nova pompa planctus.
Non talis olim militia gravi
Concuſſit arces regnaque *Sueonum*,
Non talis ad *Boynam* cruenta
Magnanimus tulit arma victor.
At mox inanem mortis imaginem
Spernens, ſerenos fortior induit
Vultus, & incepit gementi
Sic animos revocare ſponſæ:
O mœſta Conjux, quid querimoniis
Abſumis horas? quid precibus Deos
Fruſtra fatigas? vana mittas
Vota, ſupervacuoſque luctus.
Tu fauſta cernes me fine tempora,
Lætoſque menſes ire, *Britanniæ*
Spes ſola, non infauſtus ipſe
Per nemora *Elyſioſ*que campos
Vagabor hoſpes, qua patriis ſedet
Commixta Divis *Carolidum* domus;
Qua noſtra proles uſque lætis
Inter avos ſpatiatur arvis.

Tho. Fenton, Ædis Chriſti Alumn.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

QUalis *Chaonio* viduata columba marito
Comparis æterno murmure damna gemit:
Talis dum ſponſi recolit miſerabile funus,
Proluit aſſiduis imbribus ANNA genas.
Auguſtas iterat Nympharum turba querelas,
Inque rubris oculis æmula gutta nitet.
Deponit ſpeculum *Phillis*, venereſque *Corinna*
Negligit, haud cupidis inſidioſa procis.
Scilicet extincto Reginæ conjuge, fidum
Vix ſperare audet fœmina caſta torum;
Hæc tantum ingentis reſtant ſolatia luctus,
Quod rapto vivat charior ANNA viro.

Joh. Smith, Coll. Mert. Com.

O *Pratte* facundi eloquii potens,
Seu ſpem jacenti porrigis auream
Mitis; vel aſper pervicacis
Ore gravi quatis acre pectus:
Soleris ANNAM ſollicitam precor.
Te lenientem cum prius audiit
Charo ſuperſtes mœſta nato,
Exciderant animo dolores.
Narres avorum ex ordine funera;
Perfuſi ut omnes ſanguine *Gallico*
Edvardi, & *Henrici* ſodales
Nunc *Stygiis* cohibentur undis.
Eliſa quanquam neſcia perpeti,
Intacta, regni participem virum,
Vocata deponit ſecures,
Et Dominum *Elyſii* coacta
Audit tremendum. Concidit immerens
Sævi furoris victima *Carolus*,
Et Regiam tinxit cruore
Uſque nepotibus expiando.
Quin occiderunt ſydera *Danicæ*
Gentis, parentes Principis inclyti:
Protracta paulum vita fratris
Mox fugitiva diem reliquit.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Nec GEORGIUS rurſum celerem valet
Fugam morari: ſerius, ocyus
Perimus omnes; quis Deorum
Conſilium reſeret remotum?
Cur bellicarum callidus artium,
Et pacis idem, cur bonus & pius,
Conjuxque fidus, cur fideli
Tam ſubito eriperetur ANNÆ?
Fortaſſe magno ſic placitum Jovi,
Virtus ut ANNÆ latius emicet,
Ut poſſit omnes orba ſortes
Fœmineæ decorare vitæ.

Edvardus Peyto Armig. è Coll. Ball.
Superioris Ordinis Commenſalis.

O Laribus fida Auguſtis *Rhedycina*! triumphis
Addere ſeu laurum, ſeu carmen triſte ſepulchris
Ambitioſa pares, extincti conſcia GEORGI
Funeribus tantis facundos inſere planctus.
Tu procerum, & vulgi unanimes complere querelas
Aggredere; & ſaltem gemitus ſpirare canendo
Æquales, properent elegos, mœſtiſſima dona,
Extremus labor, obſequiumque inamabile *Phœbi*.
Jamprimum ANNA ſui populi, ingentiſque Senatus
Immemor, heu! fruſtra dilectam amplectitur urnam,
Et vacua exanguis ſe paſcit imagine ſponſi
Anxia, nec ſceptrum potuit præferre dolori.
Æmula regalis luctus ſuſpiria fundunt
Naïades, *Glaucique* gemens chorus omnis aquarum
Exaugent æſtus lachrymis; fatale remittunt
Syrenes carmen, ſtridenti in gurgite Cete
Efflant Oceanum, & conturbant humida regna.
Quis Ductor pelago imperitet, quæ dextra Tridenti
Sufficiat, dubitans *Nereus* ſingultit in alto.
Æolus interea, conſumpto murmure, feſſus
Carbaſa vix urget: tumidis in fluctibus hærens
Navita deponit contos, & languida vela
Miratur, nulloque animatas flamine claſſes.
Nec minor in caſtris permiſto inſania luctu
Regnat, ubique ſilent litui, dum ſcuta reclinat
Atratus miles, palmamque cupreſſus obumbrat.

Haſtis

Haſtis innixus, ſummoque in cardine belli
Hic mœret Patronum; atque ille Heroa requirit.
Hic narrat vultum ut diſtinxit amabilis horror,
Utque ardens pariter pietate eluxit, & armis.
Ille refert fratrem ut medio in diſcrimine lethi
GEORGIUS expediit, gladioque avertit iniquas
Fatorum furias, impendentemque ruinam.
Haud aliter caſum inſontis miſeratus amici
Mercurius, præpes cœlo dilabitur ales;
Atque ſalutiferum nubis prætendit amictum
Heroi cuſtos, riſitque evanidus hoſtem,
Eluſitque minas, incertaque tela fefellit.
Qualis erat, quantuſque animi ſe prodidit ardor;
Quum veterum recolens *Danorum* robur & iras,
Horridus æratas acies in prœlia duxit
Vix minor *Auriaco* victor, *Boynæque* minaces
Impavidus fluctus tranavit, & agmina *Gallûm*
Detorſit denſata, & rubro in gurgite merſit!
Quem non mille globi, non plurima mortis imago
Concutiunt, quem non tardat miſerabile pugnis
Aſſueti toties, nunc demum ante ora cadentis
Shombergi excidium, atque decora in cæde ſenectus!
At mox florentem tranquillæ pacis honore
Illum non populi plauſus, non illita fraude
Impulit ambitio, nimiive licentia voti;
At melior rexit probitas, & lucida virtus,
Intemerata fides, & fuci neſcia vita.
Illius incoctum generoſo pectus honeſto
Nequicquam tentant *Gracchi*; *Catilina* furores
Excutit, atque ipſi faſces minus invidus offert.
Quin galea haud ultra torvum, aut adamante rigentem
Mollit caſtus *Hymen*, dulcem fovet ANNA Maritum
Amplexu puro, facilemque *Heroa* ſerenat.
Sic lauro exuta, ridenti tempora Marti
Prætexit myrto Venus, atque inſpirat amores;
Talis Cœlicolum concordia pectora mulcet
Concentus, placidoque undantia gaudia motu.
Ille tamen patriæ Cuſtos, ſpes ultima ſponſæ
Morbidus occubuit, dolor immedicabilis ANNÆ,
Raptus utramque fugit, magni & conſortia lecti!
Soſpite Te, GEORGI, ſortem tulit æquior omnem
Regina, haud levibus toties labefacta querelis;

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Nunc orbata viro, atque ingenti ſaucia damno
Semianimis jacet, & thalami divortia mœret
Cæſarei, patiturque inconſolabile vulnus.
Integrat en! funus *Gloverni* mater acerbum;
Spem *Britonum* fluxam, juveniſque umbratile lumen
Semidei queritur: denſiſſima buſta ſuorum,
Et teneros numerat manes, crudoque dolore
Triſte puerperium memorat, ſobolemque caducam.
Quin Tu Regalis Vidua, & miſeranda peremptæ
Proh! genetrix prolis, lachrymas abſterge fluentes,
Quanquam inter lachrymas formoſior Ipſa refulges.
Noſtra ſalus, propriam ceſſes temerare ſalutem,
Et triſtem expellas oculiſque & pectore noctem.
Scilicet *Europæ* Tecum pertæſa bilancem
Mox ponet *Themis*, & mediis langueſcet in armis
Marlburius; tanti & nequicquam incendia Martis
Extinguet; fruſtra optatam tibi tendet olivam,
Inviſoſque *Anglis*, niſi rides Ipſa, triumphos.

Tho. Toppinge, A. B.
Coll. Magd. Sem.

MUſæ canoræ, & *Phœbe* potens lyræ,
Adeſte, clari funera Principis
Lugete, Manes regioſque
Non humili decorate verſu.
Illuſtris Heros GEORGIUS occidit,
Auguſtus alter, quem temere ſuæ
Jactabat *Anglus*, quemque *Danus*
Præſidiumque decuſque gentis.
Non dira Martis prælia fortior
Commiſit *Ajax*, quum à *Danais* prope
Victis, *Achivorumque* claſſe
Iliacos prohibebat ignes;
Quam noſter Heros pulvere ſordidus
Fraterna pugnax agmina *Danica*
Eduxit, & *Suecûm* catervas
Impavidus tulit irruentes.
Quæcunque ponti Numina vitreas
Undas tenetis, plangite; lachrymis
Augete fluctus, Principemque
Flete, brevem dominum profundi,

Heroa

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Heroa fortem; quo toties duce
Diſtendit albas ſæpe *Britannica*
Alas per immenſas aquarum
Planities dominata claſſis.
Nunc mœſtus acrem navita fletibus
Non aſſuëtis proſequitur Ducem
Lucis carentem, in longum avaræ
Impoſitum exiliumque cymbæ.
Princeps receſſit flebilis omnibus,
At nemini æque flebilis ac Tibi,
Regina, dilectæ *Stuartum*
Relliquiæ, columenque regni.
Æque quis unquam conjugii fidem
Servavit? *Orpheus Eurydicen* ſuam
Amavit æque, ad regna *Ditis*
Tartarei temere inſecutus?
Tandem, ANNA, luctus trade procacibus
Portare ventis in mare *Ibericum*,
Capta *Mahona* qua ſubactas
Lekus ovans volitat per undas:
Aſcendit arces GEORGIUS igneas,
Evectus altas ad ſuperum domos,
Terraſque deſpectans relictas,
Teque tuoſque regit *Britannos*.

Germanus Pegg,
Coll. Linc. Schol.

RES miſere fluxiſſe ſuas, lapſaſque referri
Gallicus admonitus tandem ſentire tyrannus,
Jam prope fœmineis ſenium ſubmiſerat armis;
Jam, *Bouflere*, malis jactantes grandia linguis
Teque tuoſque, lares lacrymis plorare relictos,
Quæſitaque fuga celeres ſubducere voſmet
Impulerat pulchris ſplendens *Eugenius* armis:
Cum male concordes tres convenere ſorores,
Multa venenato meditantes pectore dira;
Multa diu queſtæ, queſtæ de pace futura.
Forte per infernas ſedes ea fama vagata eſt,
Congrediamur, ait, *Lacheſis*; memorabile quoddam
Integra quod dolitura diu perſentiat ætas,
Tentemus, memores qua ſimus origine natæ.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Mactetur conſors thalami chariſſimus ANNÆ,
Sufficiatque tribus pretioſi ſanguinis hauſtus.
Dixerat, & dictis lætæ aſſenſere ſorores.
Mors quoque miſcuerat ſociam ſe pallida turbæ,
Et mandata dari rauco ſibi murmure poſcit.
Ardenti dominæ vix cum mandata dediſſent,
Exilit illapſis cœli velocior aſtris,
Pronaque radit iter delapſa per aera craſſum.
Mox penetrale ſubit nulla ſub imagine nota,
Ac occulta diu, regalia tecta pererrat.
Aſt Heroa ſemel torve ſpeculata jacentem
Conſtitit, & fixo luſtravit ſingula vultu.
Hanc male volventem, ſecum nec parva minantem
Suaviter accumbens lenibat amabilis Heros,
Mulcebatque nova pulchri dulcedine vultus.
Ter conata decus *Britonum* fœdare ſagitta,
Ter reprimit, retrahitque manum, ter comprimit arma;
Lædere nec voluit, voluit nec linquere prædam.
Proh dolor! Aſt tandem redeunte libidine nota,
Stridenti tremulum contorquet cuſpide ferrum;
Inſignemque virum proſternit miſſile telum.
Spiritus huic fugiens fatali ſolvitur ictu,
Cognataſque petit cœleſtis origine ſedes.

Thomas Dod, A. M.
Coll. Æn. Naſ. Soc. Prob.

PRincipis extremo tremuit cum ſpiritus ore,
Et gelidis hæſit pendula vita labris;
Regina auguſto ſtabat veneranda dolore,
Et largo mœſtas proluit imbre genas.
Cui moriens, Vis ferre, inquit, ſolatia morti
Chara meæ? extinctum deſine flere Virum.
Nec decores noſtrum vana pietate ſepulchrum,
Nec ſponſum referens ſculptile ſpiret ebur.
Marmore non opus eſt: ab edacis viribus ævi
Me tua defendet neſcia fama mori.

Edmundus Pitman,
Coll. Reginæ Commenſalis.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

SI quæ requirant funera næniasSolenniores, ſi querimoniæ
Vis ulla vocalis piorum
Eliciat lacrymas ocellis:
Paulum cothurno, Melpomene, gravi
Deſis; favillæ debita *Danicæ*,
Et digna Regali ſepulcro
Carmina nunc *Rhedycina* poſcit.
Cœlo relatum *Cimbricium* ocyus
Suo dolemus! jam duplices Deos,
Numenque tutelare gentis
Ambiguum celebrant *Britanni*.
Fuit juventus aſpera præliis:
Audax in hoſtes quum pietas ruit,
Sortemque fraternam exituram
Letifera prohibebat urna.
Fuere conis & galea comæ
Sæve decentes! quum nitor horridus
Ornavit haud pridem capillos
Boyniaci memores triumphi.
Olim fuerunt rara fides, amor:
Olimque amori favit Hymen pari,
Et mutuæ illuxere tædæ,
Ah utinam diuturniores!
Fuere! ſed jam funerei caput
Exangue flores, pendula vinciunt
Jamque ora ferales cupreſſi,
Et piceæ foliatus horror.
Jamque ANNA *Danum* plorat amabilem,
Parum ſuperſtes: chara minus faces
Jam luget extinctas amoris,
Et fidei breviora vincla.
Minus pudicis ara Deæ focis
Veſtalis arſit; ſorte beatior
Ah! unica: Veſtalis aras
Virgo ſedet vigil ad perennes.
Quis jam labores leniet heu! graves
Regni ſodales? nobile temperet
Quis regium pondus fideli
Conſilio? viduoſque luctus

Georgii Daniæ Principis Exequiæ

Quis mitigabit non medicabiles?
Abſente quis ſolatia conjuge
Jam præbeat? quis charus æque?
Unde fides, animi pareſque?
Utriſque gratæ *Vinſoriæ* domus
Vos, vos, amores dicite conſciæ;
Vos ſplendidi nuper receſſus,
Nuper erant, tua cura, ſylvæ:
Sceptris repoſtis quum bene ducerent
Jucunda vitæ oblivia Regiæ;
Sed jam ſuſurrantes queruntur,
Alter abeſt, ſua cura, ſylvæ.
Ut tecta late triſtia jam ſilent!
Voces gementum ni piæ, inaniter
Efflagitarent fata raptum
Aſſiduis Dominum querelis.
Quamvis renatum ſic neque *Virbium*
Diana charum liberat inferis;
Quin ipſa poſtremo doleret
Exiguam *Hippolyti* ſenectam.

Phil. Vaughan
è Coll. Magd. Dem.

TE fuſis, Princeps, lachrymis Tua *Cimbria* plorat,
Exequiaſque tibi terra *Britanna* parat.
Te Muſæ triſti flentes comitantur honore,
Et multæ recinunt funera tanta lyræ.
Te nautæ lugent, & mœſti ſæpe requirunt,
Cui cedant domino, regia cura, rates.
Proſequitur largo Te fletu exercitus omnis,
Quærit & amiſſum Martia turba Ducem.
Quin, veluti *Æacidem* fatum ſtimulavit amici,
Militibus vires jam dabit ira novas;
Quæque reportarunt victricia ſæpe triumphos,
Inferias mittent manibus, arma, tuis.

Hamon L'Eſtrange Bar. Fil.

ex Ædc Chriſti Sup. Ord. Commen.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

QUIS nunc emeritis ſit lacrymis modus?
Quæ deſiderio ſit nimio mora
Reginæ? aſſiduis quæ pia fletibus
Urget Conjugis exitum.
Ergo delicias & *Daniæ* ſimul
Et noſtras rapiunt Fata, nimis breves?
Sic demum, ANNA, Tuæ partem animæ abſcidit
Vis maturior alteram?
Averſa O precibus Numina publicis!
An non tantus amor, mutua nec fides
Unius poterat fata morarier?
Quis Divum exhibeat pares?
Verum nec pietas, heu! nec amor, fides
Nec tam caſta Deas illacrymabiles
Commovit, brevius quin rapiant decus,
Jam lamenta, *Britanniæ.*
Necquicquam fuerat Pallas amicior
ANNÆ militibus, ſi tamen ocyus
Mutatura forent tempora laureas
Cupreſſu lacrymabili.
Nequicquam in mediis hoſtibus Ægide
Preſenti occuluit Diva GEORGIUM,
Germanum pietas quum vehementior
Servavit bene *Cæſarem.*
Nequicquam! ſenii compoſiti moram
Si tandem Dea crudelior invidet;
Heroiſque pias mors violentior
Vertit funere laureas.
Heu! mœrore genas jam video ſacræ
Uxoris madidas: jam video ultimos
Amplexus, dederant quos ſibi mutuo
Planctus inter & oſcula.
Jam Princeps oculos ſæpe levat graves,
Æternumque Vale nunc gelida gemit
Lingua, dum lacrymans lumina comprimit
Regina officio pio.
Sed luctus nimios nænia provocat
Heu! jam-jam faciles: parce precor queri,
O Regina, animam non revocabilem,
Et Divis reducem ſuis.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Tandem pone gravi triſtitiæ modum;
Te ſors tarda Tuo reſtituat Viro,
Quæ gentes viduas, quæ faciet Tua
Orbam morte *Britanniam.*

Radulphus Sneyd Armig. Fil.
è Coll. Magd. Sup. Ord. Comm.

SEmirutas turres, & mænia merſa ruinis,
Ancipites laurus, & vix direpta trophæa
Dum celebrant *Britones*; immitia fata triumphos
Abrumpunt medios, lacrymoſaque gaudia miſcent.
Gloverni clades, atque irreparabile damnum
Vix animo exciderat, cum miſſos ANNA dolores
Inſtaurat, viduique gemit divortia lecti.
Scilicet *Angligenum* Mavors, quo ſoſpite, tuti
Hoſtiles ſprevere minas, animoſque tumentes,
Nunc jacet extinctus, nec formidabilis armis.
Jam memorat triſtis communes *Dania* palmas
Fruſtra, & belligerûm geſta immortalia fratrum;
Nunc memorat fruſtra ardentem, quem nobilis ira
Duxit in oppoſitas acies, trepidaſque phalanges
Dum late ſternit, dum mille pericula ſolus
Aggreditur, mediaque furens in morte triumphat;
Sed numero oppreſſus, denſoſque illapſus in hoſtes
Jam præceps rapitur: nequicquam dextra minacem
Huc illuc torquet gladium, incaſſumque laborat
Securas aperire vias: at GEORGIUS haſtam
Oppoſuit fato, clypeoque obtexit amico;
Intrepide per tela ruens, per ſaxa, per ignes,
Defendit fratrem, & capiti diadema caducum.
Quas non auderent *Britones*, tanto auſpice, turmas
Sternere *Gallorum*! ſpes nunquam eluſa cohortes
Uſque adeo extimulat, certæ & fiducia laurus:
Nunc tamen inſenſi exultant, cladumque priorum
Obliti, reparant acies, animoſque reſumunt.
Quin modo quæ faciles captivis læta catenas
Nexuit, & nondum ſublato Principe felix,
Grandia pollicita eſt; dubiam nunc anxia ſortem
Luget, & ambiguum ſuſpenſa *Britannia* fatum.

Edvardus Sneyd Armig. Fil.
è Coll. Magd. Sup. Ord. Comm.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

TAndem igitur poſt tot natorum funera, fati
GEORGIUS extremo vulnere charus obit?
Ah! multum miſeranda parens, miſerandaque conjux!
Nec conjux, neque nunc ANNA futura parens.
Ille quidem, licet infirmus, dum vita manebat,
Conſiliis minuit Conjugis acer onus,
Partitus curas, arcanaque corde ſub alto
Imperii, heu! ſoli vix toleranda, premens;
Dum gravis incubuit morbus, dum ſpiritus æger
Quaſſavit tenui pectora anhela ſono.
Illa laborantem dictis recreavit amicis
Aſſidua, & dulci fovit amore Virum.
Illius eloquio ſic lux ingrata benigno
Fallitur, & longæ tædia noctis eunt.
Nec cedit Regina malis; premit anxia curam
Multa timens, ſed nec ſpe caret iſte timor.
Quis vero tum luctus, ubi certiſſima fata
Conjugis, & ſummam ſenſit adeſſe diem?
Cum jam *Albertinettus* medicis non amplius armis
Fideret, aut longas necteret arte moras;
Conſuetus toties incenſam eludere mortem,
Spemque ſalutifera reſtituiſſe manu.
Quis motus verò internos, varioſque tumultus
Pectoris, aut animi vulnera ſæva valet,
Pallenteſve referre genas, lachrymaſve nitentes,
Quæ vel adhuc pronæ ſacra per ora fluunt?
Ah! cave diffingas iſtos ne incauta dolores,
Non res tanta tuam, Muſa, requirit opem.
At tu quæ miſera ſuperas de ſtirpe *Stuartûm*
Heu! ſola, heu! populi cura ſuprema tui;
Parce tuos *Britonas* longis cruciare querelis,
Parce Viri manes ſollicitare pios.
Tam largos fletus nec GEORGIUS ipſe requirit;
Nec poſſunt *Britones*, ſi potes ipſa, pati.

Nathaniel Whaley A. M.
Coll. Wadh. Socius.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

JAM diu Mavors *Britonum* catervis
Lenis arrifit, meritaque Lauro
Cinxit Heroas; *Themidis* ſupellex
Penſilis Aulæ
Signa dediſcunt fluitare cœlo
Gallico. crebras hederas cupreſſus
Polluit, ſicca & voluere frangi
Morte *Britannos*
Fata; Reginæ face nuptiali
Unice dignum invida vis ademit,
Antequam juſto minuiſſet ævo
Sera ſenectus:
Tuſſe cui pectus quatiente anhelum,
Debitos flatus iterare pulmo
Ceſſat infidus; toties receptus
Spiritus ægre
Diffugit tandem. Dolet ANNA raptum,
Qui pius nullum tulit ante luctum;
Jamque cognatas micat inter umbras
Splendidus Hoſpes.

H. Whiſtler A. B.
Coll. Magd. Sem.

I *Thameſis*, mœſtam dum volvis plenior undam,
Vicinumque auges amne gemente ſalum,
I, narra Oceano, quaſcunque inviſerit oras,
Quod trans ſubjectas flebile portet aquas:
Heroem, liquidi cui ſumma potentia regni,
Nereides plorent, *Nereidumque* pater.
Dextera non eadem torquet metuenda tridentem,
Nec jura æquoreæ ponit, ut ante, plagæ.
Ne tamen hoſtilis temere premat æquora claſſis,
Non impune audax per freta noſtra ruet.
Dudum ſuſtinuit munus quæ Diva Tonantis,
Neptuni pariter nunc geret ANNA vicem.

Geo. Benſon, A. B.
Ædis Chriſti Alumn.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

ERgone perpetuos, mors inſatiata, triumphos
Exigis? ergo tibi certum eſt radicibus imis
Extirpare domum, totamque ab origine gentem?
Intra luſtra duo flevit miſerabile regnum
Spes interceptas, atque immatura *Gloverni*
Funera; nunc iterum veteris redit orbita luctus
ANNA tibi, *Angliaciſque* tuis nova cauſa querelæ.
Qualis hyperboreis, Aquilo cum denſus ab oris
Incubuit, frondes primo ramoſque novellos
Diſſipat, & ſpargit non irreparabile damnum:
Quod ſi vi tota, & vaſto molimine truncum
Sternat humi, mediumve ſonanti turbine rumpat;
Heu! ubi materieſve domus, claſſiſve futuræ?
Sic varios natorum obitus inviderat orco
Anglia non exſpes; jam conclamata requirit
Participem curæ, ANNA, tuæ, nimiique laboris.
O Regina gravi, tuque, *Anglia*, ſaucia cura,
Ecquis erit flendi finis? quiſquamne ferendo
Par oneri invenietur? at ægro parce furori.
Hoc *Batavi*, Regina, tui, hoc *Germania* poſcit;
Hoc *Carolus* dubius regni; ut tua munera firmes
Regia, nec patiare retro ſublapſa referri.
En! etiam fruitur communi *Gallia* luctu.
O *Lodoix* Tibi tempus erit cum optaveris emptum
Regni parte tui, non iſtæc facta *Britannis*
Vulnera; nempe graves ANNÆ dolor aggerat iras.
Sic olim exequiis *Patrocli* incenſus *Achilles*
Neglexit grave Martis opus, *Priamoque* triumphi
Augurium indulſit fallax; mox vividus arma
Igne novo repetita coruſcat, & impete fertur
Plus ſolito, abrupti redimens diſpendia belli.

Carolus Pole Baronetti fil.
Coll. Nov. Sup. ord. Comm.

QUin inter *Anglos*, optime Principum
Velis morari? quin age numine
Tutare præſens, neu relinquas
Auſpiciis viduos ſecundis.
Te *Danus* acer fœdere ſanguinis
Devinctus urget, te prece ſupplici
Belgæque, *Germanique* duri,
Te *Britones*, animoſa corda:

Tu fœderatis jura cohortibus
Non indecoro lentus in otio,
Tu frœna Gallis indidiſti,
Tu pelagi, mediuſque terræ.
Tu ſi qua regni procubuit ſalus
Compage rupta, conſilii potens
Ades, fatiſcentemque rimis
Arte fretis regis æſtuoſis.
Per te ſuperbas *Borbonidum* minas
Formidoloſo fregimus impetu:
Anglique ſecuri pererrant
Flandriacos, ſpatia ampla, campos.
Quin & decentes *Eugenius* dolos
Per te volutans, te duce fervidus
Churchillus inſtans perque flammas
Perque moras trepidavit undæ.
Per te *Britannûm* claſſis *Ibericum*
Tranavit æquor, fulmina jam tua
Tuſcus paveſcit, jam ſuperbæ
Mœnia perſonuere *Romæ*:
Nequicquam: acerbo tuſſis anhelitu
Peredit artus: lumina Principis
Cerno tenebris involuta
Lethifero fluitare ſomno.
At ô, deorum jam prope lucidas
Evectus arces, inter amabiles
Choros piorum dum recumbis,
Cœlicolum geminaſque cantus;
Connubialis reſpice fœdera
Sacrata lecti, reſpice lugubres
Sponſæ querelas, cumque ſponſa
Sis *Britonum* memor ô tuorum.
Sic & relictis fœtibus evolat
Alauda nido, ſic & amabile
Cœlum pererrat, ſic ſalutat
Aſtra volans, vitreaſque nubes:
At ſæpe natos, dulcia pignora
Et ſæpe terram deſpiciens petit,
Tranatque nubes, dum viciſſim
Carmine amat meminiſſe fœtus.

Rob. Hawkeſworth, A. B.
Coll. Nov. Socius.

OCcubuit Dux magnus; adhuc tamen intonat armis
Marlburius, ſpiſſos & metit enſe globos.
Acrior illi animus graviores ſurgit in iras,
Laurorumque tegit denſior umbra comas.
Nempe Duci Genius pugnanti GEORGIUS adſtat,
Et tela *Angligenûm* dirigit acta manu.
Gallorum timidas immenſa per æquora naves
Disjicit, & toto fulminat ANNA mari.
Scilicet huic major ſuccurrit morte maritus,
Hæc pelago claſſes dum regit, ille polo.
Sic fruitur ſævis vel mœſta *Britannia* Parcis,
Dum magis ex ipſo vulnere ſurgit honos.

Carolus Martin.
Sup. ord. Com. è Coll. Reg.

QUI modo tutus erat media inter ſpicula, ſola
Cui modo ſuffecit, quam tulit haſta, ſalus;
Qui quaſi partitor vitæque & mortis, eadem
Ultro tot repulit fata, deditque manu:
Hunc non jam miles, non hunc jam clauſtra tuentur
Regia, non ANNÆ brachia fida tegunt.
Scilicet armatum mors territa fugit, adorta
Securum, victrix inſidioſa premit.

J. Plomer, A. B.
Coll. Wadh. Schol.

VIdiſti, Regina, pium vix viva maritum,
Cum mors in charas ſerpſit iniqua genas.
Vidiſti; & quantum eſt, quantum mutatus ab Illo!
Qui fuit, ANNA, tui dignus honore tori.
Majeſtas cecidit veneranda à fronte; nec idem
Fulſit in auguſto, qui prius, ore rubor.
Has tibi ſurripuit veneres, fruiturque triumphans
Noſtris atque tuis invida Parca malis.
Mitte tamen lachrymas: vulgare eſt vulnera fati
Sæva queri; forti pectore ferre, Tuum.

Franciſcus Lewis, Armiger,
Coll. Novi Socio-Commenſalis.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

GRande Decus regni dum Princeps vixit, amavit
Insolito affectu Regia Sponsa Virum.
Nunc, ille ætherea dum vesci definit aura,
Insolito luctu Regia Sponsa gemit.
Vivere dulce, isto si vita fovetur amore;
Vix, si sic flentur funera, triste mori.
Et vita felix, & morte GEORGIUS: ANNÆ
Tantus amor prima est Fama; secunda, dolor.

Hawkins Chapman,
Coll. Wadh. Comm.

FLete omnes mœstæ, conjunctis questibus, Artes;
Et geme diffusis squalida Musa comis.
Interiit Princeps crudeli funere, cujus
Auspicio vester floruit auctus honos.
Gregorio favit, docto describere cœlos,
Et diversa suis astra voluta viis.
At meruit Famæ potiora Encomia, Scriptis
Hickesii ingentis ferre benignus opem.
Illius ornatur fausto conamine, quæ nunc
Amissum queritur plurima lingua Ducem;
Gentibus à variis audita, & frigida replens
Littora, quæ fluctu *Baltica* tundit aqua:
Illa etiam, teneris olim quam parvulus annis
Conatus fuerat GEORGIUS ipse loqui.
Digerit ut Scriptor peregrinas ordine voces,
Atque novis veterum dat monumenta typis!
Ut doctas Borealis opes discriminat orbis,
Insolitaque rudes explicat arte notas!
Illum omnis magno cum Principe læta referre
Gestiet, & tantos discere lingua Viros.
Nomen in æternum celebrabit utrumque, vel ipsi
Hickesio ignotis, garrula Fama sonis.

Thomas Lamplugh, A. B.
è Coll. Reginæ.

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

CUR non, ut olim, Diva ſciens lyræ,
Audis vocantem? flebile cur fugis
Movere plectrum, luctuoſi
Carminis officium recuſans?

Nam nec jocoſum fas tibi perpetim
Sperare penſum: nec vacuum ciet
Teſtudo luctum, nec dolentem
Deſtituit ſua fama Muſam.

Non ſic *Mariam* paſſa ſilentio
Perire; non, *Glovernus* ubi occidit,
Obmutuit torpens Camœna:
Quidni & in hunc facilis laborem

Se tradat ultro? Surgite Vos, quibus
Feliciorem *Cynthius* indolem
Indulſit, *Auguſto*ſque Manes
Non humili memorate cantu.

Vos *Regiæ Arces*, Tuque *Domus* bonæ
Nutrix juventæ, jure mihi Ædibus
Prælata cunctis, quas benignus
Ingenuo lavat *Iſis* amne,

Wolſæa Sedes! O citharæ potens!
O ſueta centum vocibus eloqui!
I, pange carmen; I, recentem
Adde Ducis tumulo coronam.

Dic quo per hoſtes impete GEORGIUS
Inceſſit acer: dic ut ad arduos
Contendit auſus, *Sueonum*que
Arva rubro madefecit imbre.

Dic ut phaſelis *Angliacis* viam
Munivit immenſum Oceanum ſuper;
Seu merce *Eoa*, ſeu redirent
Borbonidum ſpoliis onuſti:

Georgii Daniæ Principis Exequiæ.

Ut conjugalis fœdera vinculi
Intaminatis ſplendide honoribus
Servavit, exemplum futuris
Perpetuum faciens maritis.

Hæc uſque decantanda memor tuæ
Committe pubi, non ſterilis parens:
Laus GEORGII præbebit omni
Materiam citharæ perennem.

Sic blanda fauſtum ſpondeat exitum
Fortuna cœptis; ſic Tibi mœnia
Superba ſurgant, ſoſpitante
Aldricii Genio Penates.

Sic Te faventis *Cecilii* integra
Virtus honeſtet: ſic aveat Tuus
Dici *Trelaunus*, Wintonenſis
Grande decus columenque mitræ.

Ant. Aſop S. T. B.

Ædis Chriſti Alumnus.

TO THE QUEEN.

WHEN weeping Majesty thro' Clouds appears,
And all Britannia's *Hope dissolves in Tears;*
'Tis Universal Grief; and all would shew
Their Zeal to lessen such important Woe.
While Others various Arts of Comfort use;
Accept of Ours, GREAT PRINCESS, *nor refuse*
The Consolations of th' officious Muse.
Who sighs for You, and labours in her turn
To heal that Sorrow which whole Kingdoms mourn.

With Cause indeed You grieve, with mighty Cause
Lament harsh Destiny's resistless Laws:
When the dear Partner of Your Joys and Cares
No more survives, no more Your Counsels shares;
No longer lives t' adorn Your Court, and bless
Your warlike Reign with all the Sweets of Peace:
To heighten Fortune's Smiles, allay her Frowns,
And ease the long Fatigues that wait on Crowns.
All was harmonious; no Dispute between
Th' ambiguous Rights of Consort, and of QUEEN:
When mutual Tenderness unquestion'd sway'd,
And both, or neither, Govern'd or Obey'd.
How did the Pious Royal Pair improve
The brightest Patterns of Connubial Love!
Which still in all shall Admiration raise;
O! would they imitate, as well as praise.

In Life's decay, to Sickneſs forc'd to yield,
He ſought, 'tis true, no Laurels in the Field.
How could He Then thoſe tedious Toyls ſuſtain
With labring Lungs, that heav'd for Breath with pain?
How range the thickning Squadrons into Form,
Or teach th' uncertain Battle when to Storm?
As when His Strength, not yet in it's Decline,
Stood firm, and gave the Heroe leave to ſhine:
When oft Renown'd in Northern Wars He led
His hardy Danes, *and charging at their Head,*
With ſwift Deſtruction cruſh'd the valiant Swede;
Reſcu'd His ſinking Brother from the Foe,
And ſav'd a King, and Kingdom at a Blow.
Or when He march'd, with William's *Arms to join,*
And ſhar'd with Him the Glory of the Boyne.
Nor, when retir'd, did all His Labours ceaſe;
Silent, but not inglorious was His Eaſe.
Your Realms with delegated Rule He aw'd;
Gentle at Home, as rough and brave Abroad.
Thus always led by Fame's, or Vertue's Charms;
And Heroe ſtill in Piety, or Arms.

Tho' all theſe Honours to Himſelf are due,
One more conſpicuous He derives from You:
Conſort to ſuch a QUEEN! *That deathleſs Name*
Shall add the brighteſt Luſtre to his Fame;
Immortalize his Glory, and outſhine
All Regal Titles, but the Right Divine.

A Prince ſo excellent You needs muſt grieve
To loſe, but Heav'n rejoyces to receive.
Ceaſe then Your Sighs; while languiſhing You ſit,
Britannia's *Genius weeping at Your Feet,*

The Bus'neſs of the World ſuſpended ſtands,
Nor circulates without Your dread Commands.

So if that Part which all the Body guides,
Where the Nerves meet, and where the Soul reſides,
The leaſt Diſorder feel; the whole Machine
Is pale without, and all untun'd within:
The vital Springs their active force forget,
And all the lazy Pulſes faintly beat.

Enough to Grief You then reſign'd Your Breaſt,
Profuſe and laviſh of Your Royal Reſt;
When negligent of all Your Pomp and State,
Cloſe by the gaſping Prince You penſive ſate:
Outwatch'd the Stars with watry, ſleepleſs Eyes,
With Vows inceſſant importun'd the Skys;
And vainly ſtruggling with relentleſs Death,
Hung on his trembling Lips, and catch'd his flying Breath.

As much as could from Deſtiny be gain'd
Your unexampled Piety obtain'd.
Long doubtful did it's lifted Hand forbear
The threaten'd Stroke, which hov'ring hung in Air;
Your Pray'rs with Heav'n maintain'd a dubious ſtrife,
His Soul long flutt'ring on the verge of Life,
And by a gradual Death at laſt ſet free;
To ſoften Fate, and ſmooth it's harſh Decree.

Nor weep, as if Your Glory too were dead,
And all Your Joys with Your lov'd Conſort fled.
No more He holds Your Pow'r in either hand,
One to controul the Sea, and one the Land;
Yet Sov'reign o'er theſe Iſles You ſtill remain,
And in our willing Hearts Triumphant reign:

Yet

Yet ſtill Your Fleets the liquid Empire keep,
And ride Majeſtick o'er the boundleſs Deep.
Abroad Your conqu'ring Troops lament Your Loſs
In dreadful Grief, pernicious to Your Foes.
Soon as the News was to the Camp convey'd
On Liſle's *retarding Cittadel employ'd;*
Murm'ring they paus'd, the Tidings to enquire,
With Arms reclin'd, and ſtop'd their Storms of Fire.
But ſoon diſcharg'd their Fury on the Gauls,
And pour'd freſh Ruin on their ſhatter'd Walls.
Marlbrough, *and* Eugene *ſtill Your Thunder wield,*
In ſpight of Winter, and maintain the Field:
Always victorious, they the Foe engage,
Like Winter Tempeſts, with redoubled Rage;
Teaching his ſcatter'd Troops no more to dare
To ſtand the ſweeping Whirlwind of their War.
Fir'd with new Courage, farther we advance
On hoſtile Ground, and cloſely preſs on France.
Britannia's QUEEN, *and all* Britannia's *Pow'rs*
Level their Bolts at Gallia's *haughty Tow'rs,*
More terrible in Grief; ſo Lightnings fly,
Redd'ning the horrid Gloom, when Clouds obſcure the Sky.

Let all Your Conqueſts for his Death attone,
Forget Fate's Triumphs, and improve Your own.
Chiefly to You the Godlike Prince is loſt;
But think, oh! think, You grieve at Europe's *coſt,*
And leaſt ſhould mourn Him, tho' You loſe Him moſt.

And You, who near Your weeping Sov'reign wait,
And ſhare the melancholy pomp of State;
Uſe all Your female Tenderneſs, and find
The gentleſt Arts to recompoſe her Mind.

Nor

Nor with unskilful, pious Haſte increaſe
The ſwelling Paſſion which You ſtrive to eaſe;
But ſooth the Pain awhile, and bring Relief
With all the ſofteſt Elegance of Grief.
In ſad, complaining Sounds her Sighs return,
And own Your QUEEN *has wondrous cauſe to mourn.*
But then intreat Her to regard our Fears,
And count the vaſt expence of Royal Tears.
May Heav'n, and She, if Heav'n our Crimes can ſpare,
Make that ineſtimable Life their Care;
That we implore, with anxious Fears oppreſs'd,
Sollicitous for That, and thoughtleſs of the reſt.

Joſeph Trapp, M. A. Fellow of Wadham College,
Publick Lecturer of Poetry.

MVSEVM
BRITAN
NICVM